ANONYMI

ORESTIS TRAGOEDIA

EMENDATIOREM EDIDIT

JACOBVS MAEHLY



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXVI.

ANONYMI

ORESTIS TRAGOEDIA

ANONYMI

ORESTIS TRAGOEDIA

EMENDATIOREM EDIDIT

JACOBVS MAEHLY





LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXVI.

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI.

PRAEFATIO.

Duo adhuc inventi sunt codices manuscripti quibus quod inscriptum est „Orestis tragoedia" sive „Orestis fabula" carmen continetur, Bernensis alter (45) alter Ambrosianus (O. 74), duo editores, Carolus Guilielmus Muellerus Rudolstadiensis et ego. Et codicum quidem quem primo loco posui, Bongarsianus olim, membranaceus vetustate alterum longe superat, si quidem a Sinnero in codd. mscriptt. Biblioth. Bern. descriptione ad saeculum p. Chr. n. nonum refertur (quanquam Muellero „scriptus esse videtur saeculo demum X."), Ambrosianus vero chartaceus saeculo non priore quam abhinc quarto exaratus est. Continet Bernensis praeter carmen nostrum Lucani de bello civili libros decem, in Ambrosiano vero insunt varia Vergilii, Claudiani, Calpurnii Nemesiani carmina sive sincera sive subditicia. Contulit illum Muellerus ipse cum Bernae adhuc degebat, hunc postquam

M. Hertz partem eius in Muelleri usum descripsit, R. Hercher denuo excussit totumque carmen „cum Muelleri exemplari accuratissime" contulit.

Equidem hoc praesertim in carmine acquiescendum mihi esse putavi in utriusque viri diligentia comparandique codices sollertia. Accedit, quod neutrius manuscripti ea sit praestantia, non ut denuo exigendis operam te perdidisse recte judicaveris: quin immo, singulari fere casu accidit ut quamvis vetustate multum discrepantes in pravitate omnique corruptelae genere mirum in modum conspirent, ut non facile dixeris uter utro magis sit inquinatus. Quanquam si utriusque menda numerantur modo, non pro gravitate ponderantur, superat Bernensis larga corruptelarum messe pravitatis aemulum, ut tamen in nonnullis per ulcerum foeditatem veram scripturam dispicere liceat. Nam ut omittam quae leviora sunt, codicis huius scriptorem litteras b et v fere constanter permutare, in omni vocabula recte scribendi ratione hunc in modum aberravit a vero, tanta est licentia grassatus, ut non tam indiligentem fuisse quam latinae linguae prorsus ignarum plurimis indiciis appareat. Qua in re qui codicem

Ambrosianum exaravit melius fuisse constitutum dubitari nequit, quanquam plus uno loco quas ille praebet scripturas latinas quidem specieque probas prae inquinatioribus barbareque sonantibus Bernensis sunt repudiandae. Cuius rei exempla in adnotatione critica videbimus.

In universum vero spectanti res ita est comparata, ut nulla plane vetustatis ratione habita ea sit promiscue ex utrovis lectio eligenda, quae sive a latinitate sive ab exteriore qualibet specie majorem habeat commendationem.

Ex his quae de codicum conditione strictim attigi (nec opus est fusius disputare) sequitur in constituendo carminis contextu, modo quis illum ad veri speciem exigere sibi in animum induxerit, permulta nec levissima redire ad editoris partes officiumque seu mavis ad emendandi sollertiam. Quas partes Muellerus quidem ita egit ut paucissima e conjectura nec semper probabili emendaret, longe plurima aliis profliganda relinqueret. At debebat vel prorsus manum continere ab emendando vel aequabiliter et constanter conjiciendi tentaminibus adhibere. Namque ingenium si pauculis admoveris levi sane opella restituendis

quidni in omnibus illis pericliteris quae non majorem quam illa virium contentionem requirant immo vel obiter perlustranti tam certam emendationis speciem ostendant ut qui non perspiciat plena luce caecutire recte censendus sit? Dico verba leviter tantum corrupta, dico membrorum incisorumve distinctionem multis locis facili opera sive dissolvendam sive recuperandam sive permutandam (quo nusquam fere attendit Muellerus), dico sententiarum nexum vocula vel apice mutatis restituendum et quae sunt similia.

Hanc provinciam cum me quidem melius et plenius administravisse dico, haud ita velim intellegi quasi nihil me sequenti nescio cui reliquisse affirmaverim: quippe tam largiter per carmen nostrum pullulavit corruptelarum seges ut qui eam omnem exhausturum esse proprio suo Marte spoponderit aut alterum esse Heraclem necesse sit aut vero hominem ultra virium suarum modulum nimia confidentia abreptum. Quorum utroque a genere sentio me esse alienum.

Vix spero exstituros esse qui in tam abjecto scriptore ingenium periclitandum fuisse negent. Ut enim concedam carminis auctorem quisquis

sit neque orationis luminibus neque poeticae facultatis laudibus singularem in modum excellere (quanquam partes quaedam operis non prorsus his dotibus carent), habet tamen sua sibi peculiaria suasque proprietates quae quo longius a venerabilis usu antiquitatis normaque recedunt quam a probis priscisque poetis velut sidera a nautis observari videmus, eo sentimus nos procliviores ad diligenter persequendum et indagandum quicquid a vulgari tritaque per saeculorum decursum consuetudine abludit. Accedit quod ex his tantum rebus ad judicii severitatem exactis atque pensitatis de auctoris aetate recte colligi possit, quam nisi interior operis condicio evicerit (si quidem in externo ejus habitu ne minimum quidem vestigium quod eo ducat inest) quo tandem erit confugiendum ut non dico lucem sed lucis aliquod simulacrum quantulum id cunque est captemus? Certe hoc intellegemus, vix et ne vix quidem illum nescio quem (vide Sinner l. s. l. I, 507) oculis suis carmen perlustravisse qui pessuma conjectura saeculo p. Ch. n. primo priorique ejus dimidio compositum fuisse opinatus sit, a Pomponio scilicet Secundo, poeta tragico! Hoc

non est conjectare sed delirare. Posteriorem enim aetatem et longe quidem posteriorem multumque ab argenteae illius finibus remotam singuli versus non tacite indicant sed aperte testantur, non testantur, sed clamant. Nec fieri unquam poterat ut argenteae quam dicunt aetatis auctor qualis sit cunque carmini epico ad Vergilii et qui praeterea sunt epici similitudinem efficto et a dramatis natura legibusque toto coelo distanti inscriberet „tragoediam", qua voce etsi translate utuntur auctores latini, nunquam tamen ita abutuntur ut genera quae sunt poeseos confundant. Nec hoc ullius est momenti quod quum in Bernensi titulus praefixus sit „Orestis tragoediae" Ambrosianus „Horestis (sic!) fabulam" prae se ferat, idem enim valet, quod in vulgus notum, apud auctores latinos drama atque fabula, comoediam vero ne quis Orestis fabulam judicaret non erat verendum. Vergilium autem quod noster potissimum expressit non mirum, si quidem vel qui serae latinitatis scriptores tragoedias proprie dictas concinnarent, omnino qui centones cujuslibet generis consuerent Vergilium presse secutos esse constat; qualem scimus Hosidium Getam Medeae fabulam prorsus ad

veteris tragoediae normam exactam, i. e. mixta di verbiis cantica prae se ferentem totam ex Vergiliana copia hausisse. De quo vide Bernhardyum p. 335 histor. litt. graec. et Meyerum p. 235 anthol. lat.

Sed ut liquido constet de nostri auctoris indole non poetica magis quam litterata et vero etiam de aetate, age proprietatum quotquot a probae genuinaeque latinitatis consuetudine abhorrent censum agamus tripertitum, ad grammaticam scilicet spectantium, ad prosodiam, ad metrum.

Ut a levioribus initium faciam, memorabilis est apud nostrum adjectivorum in *alis* exeuntium crebra usurpatio, quorum ut omittam trita et apud alios quoque scriptores passim obvia, velut *triumphalis*, *legalis*, *matronalis*, *jugalis*, *pastoralis*, *rogalis*, *maritalis*, adde rarius inventum *poenalis;* praeter consuetudinem noster *Minervales* Athenas usurpasse videtur; quod vero etiam *coruscalis*, *medicinalis*, quin *diademalis* sibi indulsit, hoc perraro exemplo fecit vel nullo. Quorum quod postremo loco posui *diademalis* non ante V. saecul. invenitur, apud Dracontium Hispanum, consimilique modo alium ejusdem saeculi

scriptorem, Sidonium Apollinarem video *nocturnalis* vocem finxisse Coeliumque Sedulium *occidualis* (Oceanum dixit) et *veniabilis* („fore quidquid ago veniabile apud te"): unde quis haud immerito colligat, nostri auctoris ipsius aetatem non ultra ejusdem saeculi terminos posse promoveri. Noster vero quum v. 677 (fortasse etiam v. 757) *complicibus* scelerum semibarbara usus voce dixerit habet delicti „complicem" eundem Sidonium Sedulium („de semine *complicis* hydri"), quanquam nec Prudentium aetate paulo priorem ab illa voce refugisse video. Occurrit praeterea dubiae latinitatis vox *plectibilis* apud Sidonium non minus quam apud nostrum v. 425. Nec quod *sponsandi* verbo usus est noster pro substantivo sive mavis participio „*sponsus*" (v. 78 ad thalamos conjux sponsantis Achillis) notandum est magis (si quidem in Digestis Paulus quoque hac voce usus est) quam quod v. 921 graecissandi, ubi propter metrum minime opus erat, prurigine captus *poli* locum concessit pro *urbe:* — (nemo poli servare deum puto vellet iniquum) — quam eandem in hac ipsa voce licentiam qui sibi sumpserit ante Flavium Cresconium Corippum Africanum

video neminem; vixit autem ille saeculo sexto. Possis eo magis mirari nostrum quod per totum carmen ab illo more sese continuit: quanquam quis prohibuerit, quominus vel ipsius Vergilii secutus exemplum voces graecanicas communi fere poetarum consuetudine receptâs in suum quoque usum converteret? Scilicet, quod *polin* sibi indulsit vix puto aliam esse causam quam quod de *Athenarum urbe* dixit, quippe quae erat quasi πόλις κατ' ἐξοχήν, Graeco praesertim homini, qualem fuisse nostrum carminis exitus, in precationem pro universa Graecorum gente flexus, probare videtur.

Hoc posito jam vox illa graeca minus habet mirationis quam exempli gr. *chelidonis* vocabulum, quod auctor Pervigilii Veneris, nostro haud dubie multo aetate prior, pro *hirundine* admisit. Quid, Graeculum esse nostrum (quandoquidem huc sumus delati) saltem non Italum, linguaque Romana non tam velut lacte innutritum quam studio et disciplina excultum, nonne inde intellegitur, quod verborum quorundam sensum male captum in devia flexisse videtur, velut dixit v. 43 candida *fluctivagi* tendebant carbasa venti —passivae vocem na-

turae, quae est *fluctivagus*, in activam ventorum vim detorquens? quum tamen simillimae et formationis et significationis verbum compositum *undivagus* (v. 362: dixit et undivagis vestitus fluctibus intrat) recte intellegeret.*) Ubi vero gravius aliquis offendat, *plantigera vota* (v. 118 publica plantigeris execrans gaudia votis) pervelim scire qualia noster sibi finxerit: opponenda erant publicis privata et clandestina Clytaemnestrae vota, haec vero quibus quaeso unquam machinis possunt dici *plantigera?* At nimium quantum hoc quidquid est vocabuli a loci sententia distat quam ut nostro equidem assignare ausim. Eliminandum, ni fallor, monstrum lectionis scribendumque: publica *clam nigris* exsecrans gaudia votis. Haud male compositum est, mirandum potius non alibi inveniri vocabulum *plectriger* quo Apollinem epitheto noster designavit, quem eundem Sidonius

*) Scio, ausum fuisse Maronem (Aen. I. 224) mare *velivolum*, quum proprie naves sint velivolae; at hoc metonymiae genus, utpote longe illo modestius non modo nihil offensionis habet, sed vel peculiarem gratiam.

Apollinaris *plectripotentem* dixit, minus audacter uterque quam qui vigente *frugifer* vocabulo *frugiferens* composuit adulta linguae Romanae aetate Lucretius vel qui *flammicomans*, *glaucicomans* similia vocabula non reformidaverunt gravibus latinitati saeculis seriores poetae. Quod vero dixi videri nostrum studio potius addidicisse quam a teneris imbibisse latinam linguam, hoc quoque habeo argumentum, quod fallaci scilicet ductus recordationis quadam specie est ubi genus substantivorum confundit. Qui quum Vergiliani (Aen. II. 763) „Troia gaza" memor quidem esset nec tamen qua sententiae conformatione diceretur satis teneret, neutrum plurale esse opinatus, quod femininae vocis erat numerus singularis („undique Troia gaza incensis erepta adytis") imitabundus hunc fudit versum 290: (quae ratis avexit regem haec quoque pignora regis) spesque Agamemnonias et *Troica gaza* reportat. Nec quomodo versum 593 expediam invenio nisi eadem adhibita medela. Ibi enim Pylades ut confirmaret amicum a vindictae atrocitate refugientem, ubi interfecti patris Manibus hoc deberi munus asseruit, nonne, inquit, ejus umbra

occurret per mille vias, per limina portae
obsidet tremulis haec vocibus astra lacessens:
inmeritum sic nate paras defendere patrem, cett.

Vides „haec astra lacessens" quam sit intolerabile. Scribe

obsidet tremulis *te* vocibus *oestra* (οἶστρος) lacessens

qua mutatione sensus redit versui. Scio equidem rem qua de modo dixi, exemplis non prorsus carere, ut videmus Petronium, latinarum Venerum haud mediocrem sane judicem, usurpare „*balneus*" genere masculino, item „*vinus*" „*fatus*" „*lorus*", ut taceam quae veteres imitandi studio sibi indulsit (vide Studerum mus. Rhen. vol. secundo p. 77 de hac re disputantem) nec me fugit in inscriptionibus vel has sordes: *hunc* theatrum, *hunc* prodigium, *hunc* sepulcrum, *hunc* monumentum, inveniri: at haec similiaque vix cadunt in comparationem, nedum ut excusationem nostro parent: manant scilicet ex vulgari plebeculae sermone rusticorumque et provincialium quibus cum poetis nihil est commune. Qua vero ratione Graecus homo aberraverit ad vocabuli ex sua ipsius lingua ducti genus

mutandum, discernere nolim. — Sed de verborum copia et delectu ut transeamus ad declinationem, in nominibus quidem diligenter cavit noster ne quidquam licentiae per seriora litterarum latinarum saecula identidem obviae admitteret qualia sunt exempli causa *Marcie* casus vocativus, item *Dee* pro Deus, *ossuum* (Lucretio licet hunc abusum praeeunte): unum vero et ipse sibi concessit dicamne an imprudenti excidere passus est — Ablativum in ĕ neutrorum recto casu in eandem litteram exeuntium: v. 368 pro Phrygibus pelagus saevit, *mare* vindice Trojae — quod facillime poterat devitare scribendo ἀσυνδέτως (quam figuram mirifice vel adamat)

pro Phrygibus pelagus saevit, vindex mare Trojae.

Eadem licentia quum occurrat apud Sedulium (marĕ, praesepĕ pro mari, praesepi, apud Corippum quoque, aetate illo posteriorem, *missile* eodem casu usurpantem) nec apud quemquam quantum equidem scio priorum aetate auctorum inveniatur, jam hoc indicio probatur, nostrum, si vitae terminum vel maxime promoveas, non posse citra medium saeculum quintum vixisse, ego vero, ut

sententiam meam aperiam, vel Corippo propiorem esse quam Sedulio persuasum habeo.*) —

In verborum proprie dictorum declinatione nihil eum a vulgari traditaque consuetudine recedere vidi praeterquam quod v. 169 *periet* dixit pro *peribit.* Quanquam hac in re non opus est provocare ad Tertullianum (ut mittam Corippum) ejusdem soloecismi socium, qui „deperient" admiserit, sed ad clarissimum Tibulli exemplum qui eleg. libr. I, 4. 27 *trânsiet* non refugit, ut jam mirum non sit L. Annaeum Senecam philosophum hoc idem sibi licere existimasse. Nec multum abludit ab hac, quam modo vidimus in *eundi* verbo licentia, Christianorum poetarum finitima, qua scilicet verborum quartae adscriptorum conjugationi futurum primum in *ibo*, *ibor* flecterent: *sepelibo, finibo, ordibor, largibor.* Nec intra futurum tempus continet se licentia, et in praeterito quum *posivi* formam non respuissent (praeter inscriptionum antiquiorum auctores Plautumque) Catullus et Tacitus, Corippus ille quem passim nominavi in

*) Levius est, quod casum sextum vocis quae est *securis* effinxit *secure* (v. 214), praeter consuetudinem.

„*furui*“ atque „*strui*“ formas, quarum priorem etiam apud nostrum invenis v. 846, evagatus est. Nec participiis pepercit, siquidem ab *abscondendi* verbo derivavit *absconsus* nec minori sane audacia Arator poeta fere coaetaneus idemque Christianus *graditurus* effinxit praecessore utique Juvenco usus qui consimili arbitratu *hauriturus* formam procuderat. Quorum omnium apud nostrum nec vola nec vestigium. —

Sed ad Syntaxin ut me convertam, complura quae noster admisit apertissime seriora tempora demonstrant. Auctor Pervigilii Veneris, si nulla alia re, advertit nos usu prorsus singulari lateque patenti quem praepositioni *de* concessit. Neque aliter noster, quamvis parcius, a vulgari norma recessit v. 542 crimina purgabit matris *de* tempore prisco et v. 886 accusat gemino *de* crimine Orestem — ubi Genetivis locus erat — v. 431 (Medea) viduata viro *de* pellice Glauce — ubi *per* praepositionem exspectaveris. Quanquam haud ignoro, etiam apud probae latinitatis auctores inveniri quae abusui viam quasi sternere possent, velut *de* aliquo agrum colendum habere, *de* aliquo audire (*de* Davo audivi Terent. in Andr.,

de comite Argolico postquam cognovit cett. Ovidius in Trist.), sed tamen accuratius examinanti haec illis multo sunt leviora. Quid, quod vel probatissimi optimorum temporum auctores abstinuerunt ab usu particulae *quod* post verba *dicendi, declarandi*, *intellegendi*, similia? Quam rem plurimis exemplis probatum ivit Perizonius ad Sanctii Minerv. 450 seqq. Jam audi nostrum, v. 129 credidit aequoreas *quod* rex sit mersus in undas, v. 275 credere quis posset desertorem Asiae foderet *quod* cultor agelli, v. 354 fingere *quod* pelagus rapidum demersit Atridas. Dices, Ciceroniana, Liviana aliorumque haec posse auctoritate defendi; idem vero quod longius progressus particulae *quod* substituit *ut*, v. 529 (non pudet) *ut* pastor mea regna notet, equidem eo inclino ut *quia* quoque ab ejus manu profectam esse particulam credam v. 672 indicat occulte paucis *quia* vivit Orestes, nec mutandam in *quod*, quanquam per scribendi compendia *quum quod quia quando* non uno loco confundi sciunt harum rerum periti. *Quia* autem particulae illo loco positae licentiam ut quovis alius vel abjectissimi scriptoris exemplo excusem frustra quomodo

fieri possit circumspicio; de Palladio enim libr, III. tit. XIII, non credo. — Sed praepositio *de* unde huc deflexi, admonet alius cognatae voculae, *per*, quam eandem plane singulariter usurpavit noster v. 194

unaque natarum cinis est *per* templa Dianae

itemque 464

cujus adoratus constat *per* templa precantis
iratos audisse Deos

quo utroque loco alius quilibet scriptor *in* c. Ablat. posuisset,*) nec tu minus cunctanter v. 900 in prosario auctore intersereres *a* praepositionem

(percutienda fuit rea maxima judice justo
non tamen ense suo)

verbis *maxima* et *judice*, flagitante quidem regula sed, apud nostrum, repugnante metro. Quanquam habet res umbram quandam excusationis in membrorum quaesita parilitate *judice justo — ense suo*. Quod vero *eundi* et *veniendi* verba, quem quis terminum versus passus dirigeret significantia, omni praepositione omissa, cum tertio casu

*) Versu quoque 832 *per* quamvis alia tamen inusitata vi reperitur esse usurpata.

conjunxit — ut ex. gr. ibat alumna manus tumulis regalibus (= ad tumulos regales), venit Athenaeis mox sedibus (= ad Athenaeas sedes), et sic saepius*) — id eum suo et infelici quidem Marte fecisse censeo, quo a latinorum auctorum legitimo ut ita dicam coetu longo temporis intervallo sese distare satis ostendit. Multo enim hoc gravius est illo quod saepe posuit *eundi* verbum pro simplici *esse* vel *exsistere*, ut v. 198 felicior ibis, atque Agamemnonia regno potieris et aula — quandoquidem jam apud Ovidium hic usus valet. Quid, versibus 534, incolumi Pylade *suo*, 622 quae sensus monuere *suos*, 901, non tamen ense *suo* (conf. quoq. v. 590, 819, 894) — pronomine possessivo quod usus est pro demonstrativo quo secundum

---

*) Nec tamen ausus sum hanc nostri proprietatem propagare ad nomen *domus*, ut codicum scriptura v. 157 *redit domo* exhibentium pro *domum* repudiata *domum* scripserim, ne contrarium fere ejus dicat scriptor quod dicere volebat. Qua correctione non opus erat v. 287 ubi *secumque adduxit Athenis* quamvis insolentissime dictum, reliqui integrum, quia ne pro sextu casu haberetur Athenis, cautum erat praepositione *ad* verbi *adduxit*.

grammaticos opus erat, ipsius Ciceronis licebat auctoritate defendere, hanc sibi licentiam aliquoties condonantis (vide Vossii gramm. lat. Syntax. 33), at vero interest inter gratam orationis neglegentiam quae, apud Ciceronem praesertim, virtutis fere speciem aucupatur, atque poetae epici magnificam constantemque gravitatem.

Hoc quoque decrepitam qua noster vixerit linguae aetatem testatur, quod tempora verbi nulla nisi metri cogente necessitate temere commutaverit, ut non dixerit tantummodo v. 4 non quae *jugularat* (pro praeterito) v. 823 *terruerant* haec monstra virum (pro *terruerunt*), praecedenti Praesenti quod dicunt historico, (quanquam potest subesse vitium scribendumque fortasse *terruerunt*, licentia apud poetas non inaudita corripiendae penultimae, ut videmus praeter Plautum atque Terentium vel Horatium in Epod. libro v. 17 *vertĕrunt* usurpare, Phaedrumque fab. libr. IV, 20. 16 *abiĕrunt*) nec, quod multo etiam gravius, v. 865 litore *constiterant, fuerant* ubi templa Dianae (ubi Imperfecto vel maxime opus erat), sed quod omnium longe est gravissimum, in interrogatione adhibuit Imperfectum pro Praesenti v. 873

hostia dic, quis *eras* aut cur Agamemnona clamas?*)

Idem, ut per saturam quaedam comprehendam, mirabili sane audacia, Genetivo causali quem apud poetas late patere grammatici docent, usus est in rectione adjectivi *pius*, v. 440, ut dixerit de Alcestide „*pia* conjugis, impia de se", *quaerendi* verbo addidit Accusativum cum infinitivo v. 628 „quaerentes ausa latere", *petendi* autem duplicem Accusativum v. 533 si peto Cecropidas vindictam sospite nato, quos legitimos esse comites scimus *rogandi* vel *orandi* verbis a *spei* vocabulo pro gerundio suspendit conjunctivum, v. 310 Trojanas *raptaret* opes spes una manebat; quod contra v. 99 virgine pergo redux, plangenti reddere matri — in nudo Infinitivo acquievit, ubi particula *ut* atque conjunctivo opus erat — denique Graecorum ad morem, verbum *πιστεύομαι* passiva et forma et significatione ad personam referentium eam, quae tertio casu activae formae addita est, noster de puella quadam dixit v. 707 „statim credita non est." —

*) conf. quoq. v. 723 *dixit* et ..... *immerserat.*

Sed quod mihi quidem maxime videtur abhorrere a sana vel ut verius dicam ab omni latinitate, quapropter extremo hujus quae est de grammaticis nostri rationibus loco reservavi, hoc est, quod verbis quibusdam incohativis in *sco* exeuntibus activam h. e. transitivam induit potestatem, v. 128 et lasciva reos *pulcrescunt* gaudia vultus, et v. 582 si sensus iners tua corda *tepescit*. Horum vix quicquam simile per omnem latinitatem invenies nisi apud Corippum saepius memoratum qui duobus locis (Johann. VI. 253 et 484) *mansuescere* posuit pro domandi verbo, is vero fretus fortasse Varronis auctoritate, quem de re rust. libro II, 1. 4 scribentem faciunt: cum propter eandem utilitatem silvestria (sc. animalia) deprehenderent ac concluderent et *mansuescerent* — unde Sanctius quoque non invito, tacente certe Perizonio inter neutra active posita retulit III. 3. p. 316. nosque conferre jubet verbi *suescere* compositorumque *assuescere*, *insuescere*, *consuescere* similem plane rationem exemplis proborum auctorum confirmatam. Et quum in Varronis loco facillima sane sit et a nonnullis commendata mutatio *mansuefacerent*, tamen fortasse opus ea non

est, ad formam enim quid aliud est mansuescendi verbum quam supra dicta composita etymi quod est suescere? Sed hoc utut est — nam ne hoc quidem omni exemptum est dubitatione sitne revera verbum suescendi incohativis proprie dictis adnumerandum an activa vis primaria fuerit formatioque similis verborum Graecorum *στερίσκω*, *κυίσκω*, *πιπίσκω* cett.*) — hoc certum est, constitisse illum usum intra fines verbi *suesco* compositorumque nec unquam latius ad verba praeter om-

*) et apud Latinos inveniuntur verba nec pauca quidem quae quum incohativorum formam ac speciem prae se ferant, activa sunt, ut *miseresco, concupisco, scisco, paciscor, adipiscor, comminiscor, nanciscor, ulciscor*, alia, haec vero quid mirum est sequi casum, quem, unde efficta sunt verba primitiva misereor, concupio, scio cett. —? *pulcresco* vero ecquo nititur etymo verbali, *tepesco* autem verbo quod subest *tepeo* simplex, quo unquam jure transitive usurpari potest? Permultum enim abludit quod aliis quibusdam verbis poetae vere ita dicti transitivam vim induerunt, quanquam et ipsi satis audacter (ut scripsit Vergilius *resonabat assiduo lucos cantu* vel *instabant Marti currum*, sive Horatius *manare poetica mella*, *stillare rorem ex oculis* [Madvig grammat. §. 223]) siquidem horum verborum forma per se non respuit vim activam.

nem dubitationem incohativa propagatum fuisse nisi a scriptore, qualis noster censendus est, longe a genuinis intemeratae latinitatis rivulis remoto.*)

Venio nunc ad rationes metricas prosodiacasque ex quibus possit aliquid elici ad constituendam auctoris aetatem.

---

*) Quanquam, ut verum fateamur, ad barbariem illam verborum incohativorum transitiva vi usurpandorum viam muuivisse videtur quod jam apud Lucilium et Plautum invenitur *sole occaso*, a plebeia fortasse consuetudine desumptum, quod imitatus Paulinus eodem sibi jure licere arbitratus est dicere *obitis mortalibus*, nec semel quidem. Ejusdemque licentiae est, quod Petronium plebeji sermonis imitatorem admisisse videmus, ut *effluere vinum* diceret, pro *effundere* quod quî mirum est Claudianum plus uno loco fideliter expressisse? Omnino quod attinet verba illa intransitiva passive usurpata, tenendum est, probos auctores non nisi in participiis hanc sibi licentiam indulsisse. Velut inveniuntur praeter *obitus occasus* supra memorata Prisciano teste 9, 9, 48. 49 p. 869, 870 *interitus, discessus* (Caelius: custodibus discessis), *senectus* (Sallust. histor. l. IV. senecto corpore), *praeteritus* autem vel apud Ciceronem passim inveniri notissimum.

Hac in quaestione quum recte animadversum sit, quo quis auctor sit recentior h. e. remotior ab aurei saeculi quod dicunt terminis, eo illum numerum elisionum seu synaloephas dicere mavis imminuere solere — ut exempli gratia computo facto jam Ovidius inferior sit Vergilio hoc nomine — res ita apud nos est constituta, ut in universum consideranti in sedecim septemdecimve versuum numerum una non amplius elisio cadat, qui sane numerus ad Vergilii ubertatem collatus exiguus est dicendus. Tamen est quoque ubi uno eodemque versu duplex occurrat velut „*eversorem* Asiae, *natum* omnipotentis Achillis" — nec omnes sunt leviores, ut cum non solum monosyllaba in longam vocalem exeuntia per synaloepham cum sequenti voce commiscentur: *qui* exhausit civibus urbem — *si* ulciscenda fuit — sed etiam in diphthongum terminata eadem monosyllaba: „*quae* aptabat pietatis amor" — cujus exempli simillimum praebet Avienus: *quae* Himilco Poenus cett.; ante brevem vero syllabam elisorum quae in diphthongum exeant exemplum inveni nullum. Nec crebro *hiatum* noster admisit: v. 941 si decreta deum homini tractare liceret — v. 892

sanguinis oblitum humani juris egenum — v.837 it manus ad capulum et crebris ictibus auras — ubi vides neclectam synaloepham cadere in primariam quam metrici dicunt caesuram, ut notum illud Propertianum: o me felicem, o nox mihi candida! itemque Catullianum: Jupiter ut Chelybum omne genus pereat. Ecthlipsim vero Vergilium vel in ea interdum incisione neglegere, quae non primaria est epici versus, constat, veluti: si pereo, hominum manibus periisse juvabit. Quae exempla dubito an minus Romanam scilicet aurem offenderint quam Plautina, Enniana, Luciliana, quae neclecta item synaloepha vocum in *m* exeuntium ultimae syllabae, brevi videlicet, locum concederent in thesi, velut Ennius (nam de Plauto nota res): dum quidĕm unus homo Romanus cett., vel: milia militŭm octo — Lucilius: sordidŭm omne cett. Et quum constet, posteriores poetas, christianos maxime, non solum syllabas breves fere omnes quotquot sub ictum cadunt primarium, pro cŏmmunibus habuisse (velut Priscianus: et radĭos solīs et sacra mente retractant — Claudianus: claudicat hic versūs, haec, inquit, syllaba nutat — altera succrescīt, alternantesque colo-

rum — Sedulius: majestas similīs, haec est via namque salutis) sed vel eo extendisse licentiam, ut ante *h* atque *qu* litteras producerent (āquila, alternāque, lōquax, īnhabitant, quīs hominum, sōphisma, mēthodicus cett.) nonnulla etiam apud nostrum exempla inveniuntur: v. 358 vos precor adnuitē, fallacia vota juvate, v. 445 fortior igne fuit, crudelibus usa medelis. v. 468 nonne laborastīs, Helenam ne pastor haberet? v. 941 calculus albus erat, habuit quem dextra Minervae, v. 919 si ulciscenda reā genetrix, quid jam pater insons — quod quidem exemplum eo magis est notabile, quod incisio non post *rea* statuenda est, sed hephthemimeris potius post *genetrix;* quod idem accidit versu 306 tanquam legitimūs heres Agamemnonis aulae. Ad productionem vero vi positionis factam quod attinet, concessit hanc vim vel mutae cum liquida vocem incohantibus idem noster qui fortasse non concesserit triplici consonantium juncturae, ut dixerit: v. 936. factā tractantur, v. 552 mox Agamemnoniā proles, v. 549 vel vivā tradere flammis*), v. 109 rēpleverat, v. 113

*) conf. Ausonii „versā Graja manus.“

rēplentur" — nec refugerit v. 318 „quasĭ scrinia"*), licet alio loco consonantium pari *sc* vel absente liquida *r* positionis vim imbecillae non denegaverit, v. 716 „suppliciā scelerum", qua in re potuit ad Ennii „stabilitā scamna" in thesi sibi concedentis aliorumque auctoritatem provocare. Quanquam multo gravius, nec scio an multo quoque saepius quam in brevium productione, peccant posteriorum saeculorum poetae, Juvencum dico, Aratorem, Paulinum utrumque, Sidonium, Fortunatum, Prudentium, alios, in correptione longarum vel natura vel positione syllabarum. In quo ut a levissimis ordiar, constat quae in *o* exeunt nomina vel verba mensura jambica jam a priscis auctoribus, quanquam haud frequenter, breviari nec minus raro Vergilium Horatiumque hanc sibi licentiam sumere in vocabulis creticam proprie mensuram exhibentibus, ut dactylica redderent ex. gr. nuntiŏ, dixerŏ, mentiŏ (vide Lucianum Muellerum hac de re ut de superioribus accuratissime disputantem in libro de re metr. poet. Roman. p. 336 seqq.);

*) si utique genuina est lectio, quod valde dubito, vide adnot. critic. Ceterum conf. v. 867. ipsĕ statutus ad aras.

primus vero Juvenalis et Seneca, longius progressi, o sexti casus Gerundii pro lubidine vel metri opportunitate in illius anomaliae societatem receperunt. Nec noster hanc repudiavit licentiam, ut qui plerumque non solum in primo nominum casu verborumve prima persona o corripuerit (h. e. quadraginta fere in locis, quum non amplius sexies et in verborum quidem prima persona longam reliquerit — mille dabō pecudes — jubeōque rogōque — sed dubitō — justa petō — aderō tibi) — sed praeter Gerundia *linquendŏ* (v. 513) *laniandŏ* (v. 906) admiserit quoque *itŏ* (v. 666) et *estŏ* (v. 375). Sed non acquieverunt poetae supra dicti in breviando o finali, sed alia quoque et graviora sibi indulserunt in vocabulorum finibus (ut in his subsistamus), velut dixit Prudentius: sanctum, lector, *percensĕ* volumen — eademque mensura „extorquĕ" „frendĕ" versui obtrusit, nec quam adhibuit medelam ut metro succurreret, lenis est dicenda, quippe qui „*collucĭs*" formam pro legitimo „colluces" adhibendo metrum quidem servaret, grammatices leges infringeret. Nec aliter statuendum est de nominibus quibusdam in *es* exeuntibus, quae ille metro inserviens in „is" terminari jussit,

qualia sunt: vulpis, torquis, felis, famis, luis, quanquam Corippus servata legitima forma non verebatur „herēs" metro adaptare scilicet eadem prorsus licentia ille usus qua alii „servitūs", „poscerēs", „custodīs" (secunda Singularis persona verbi custodire), „pervenīs", quin, Genetivum quartae declinationis, „sexūs", „domūs", „spiritūs" — et haec quidem Sedulius — corripere sunt ausi. Et eo quidem audaciae noster nusquam est progressus praeterquam in nominibus quibusdam propriis, ut constanter „Pyladēs" ultima brevi metiretur, quod idem Maximus poeta sibi concessit in „Ulixēs" Sedulius in „Herodēs", alii aliis in nominibus. Sed de nominibus propriis mox dicam singillatim, nunc ab effrenata aliorum poetarum licentia ita vindico nostrum, ut quod illi Adverbia in *ē* qualia sunt *pie*, *valde*, *fere* itemque in *ā* exeuntia (velut *frustra*, *postea*, *contra*, *supra*) corripuerunt, nusquam sibi licitum esse statuerit. Sed missis vocabulorum finibus videamus de ipsorum corpore atque medullis. Ibi non solum neclecta positione invenimus *ŏpportunus părricida* apud Prudentium, *sŭpplex* apud Porphyrium, sed vel neclec-

ta diphthongo *mĕror quĕsumus* apud Flavium Felicem atque Luxorium, qui frustra sibi inde excusationem paratam esse censuerunt quod suo arbitrio diphthongum mutarent in vocalem brevem, nam ita qui metro opitulatur, linguae genium it perditum. Quum vero supra viderimus, *o* finalem, quae sexto casui inserviret significando quamvis natura longam, tamen inde a Juvenalis tempore corripi, non substiterunt in hac anomalia posteriores; sed licentius grassati vel in medio vocabulo obviam Genetivum plurativum indicantem corripuerunt, velut *calceŏrum* Prudentius sibi concessit. Sed in vocum medullis ut pedem sistamus, occurrunt *involŭcrum*, *lavăcrum*, *vestĭgium*, *spĭritus*, *dēnărios*, *tībĭcinis*, *jŭge*, *calceămentum*, *sacrămentum*, *suffrăgium*, *Vespăsianus*, *salŭbris* apud Sedulium, Ausonium, alios. Quibus haud leviora sunt *tenēbamur*, *ablŭtus*, *clătam*, *volŭturus* vel Sedulii *ĕnorme*, *ĕnervans*. Quid, quod vel uno in vocabulo dupliciter peccarunt, corripientes quae est longa, brevem producentes; quale est Luxorii: *impleral cuncti viscera nēgŏtii* — et Sedulii: *Hādrĭănique dei* — Ausoniive: *mērĭdĭanus.* Quanquam inest in *hac* quan-

titatis metathesi quod nescio quomodo linguae indole excusari, certe duplex peccatum levius reddere videtur quovis simplici eorum quae supra vidimus generum.*) Vidimus hucusque de vocibus mere latinis. In Graecis quod poetae illi leges prosodiacas saepius migraverunt, ut minime est laudandum, tamen excusatius peccavisse censendi sunt, quandoquidem in similibus, nec apud Romanos solum Graecosve, regnat identidem non lex magis quam arbitrium. Igitur videmus ex. gr. Ausonium *trigŏnus, solēcismus, Cithēron, Phēaces, psaltērium, diastēma, phŏnascus* admittere, Sedulium *idŏlis, idŏlio* (quae frustra Aldus Manutius transponendo ad legis ubique severitatem revocare studuit), *hēresin, ĕrēmus, ēthica, ènigma, mathèsis, poēsis, anathèma, paraclètus, polyclētus*, alios alia. — Jam convertas te ad nostrum: non multa sibi arrogasse cum merito dices. Qui sane iniquius egit, modo dixit, quod legitur v. 68

*) sciunt quid dicam qui Graecorum callent poetarum indolem: *δειόμεν* et *δέωμεν*, *ἀπειρέσιος* et *ἀπερείσιος ἀκήχεμαι* et *ἀκάχημαι*, *νηὸς* et *νεὼς*, *ἀκέρητος* et *ἀκήρατος*, *ἀεικέλιος* et *ἀεκήλιος*, similia.

si vĭvis et non es sacrata morte dicata

quod quo modo tolerari posse censeamus praegresso versu 67, ubi legitime dixit

vīvis an effigies et imago volatilis exstas? — ? Igitur nisi poetam ab omni humanitate prorsus abhorrentem fingere nobis volumus, corrigendum est confidenterque reponendum (quo duo praeterea soloecismi profligantur, *et non* scilicet atque carens dativo verbum *dicata es*)

si vīvis neque *dis* sacrata es morte dicata.

At dixit v. 258 falsa usus quantitate:

si fuerant animi, *jŭbīlans* jaciebat uterque.

Neque hoc credo, nec propter poetam magis (qui quidni ex aliorum larga licentiarum messe pauca quaedam sibi delibaverit?) quam propter sensum qui verbum jubilandi respuere videtur. Puto equidem corrigendum esse *uibrans* jaciebat uterque. Vides parcissimum esse, immo prorsus fortasse abstinuisse nostrum a correptione illegitima (nam exempla equidem alia non inveni), nec, nisi fallor, productionis brevium ampliorem sibi usum concessit quam ut v. 52 *thurībula* diceret, v. 660 *muliērem*. Nec mutationis periculum est faciendum. Prior enim quum sic habeat locus

vidit Iphigeniam thuribula sacra ferentem
possis transponendo sic velle occurrere:
vidit thuribula Iphigeniam sacra ferentem
quo et *Iphigeniae* suum constaret legitimumque metrum quod versu, qualis legitur, violentissime noster migravit, et vero etiam *thuribuli* voci.

At vide transpositione quam miserum fractumque, carentem utpote caesura versiculum efficeres; nec quicquam in nominis proprii mensura, qualis nunc est, offensionis. Intactus igitur versus est relinquendus. In altero vero versu, 660,

Nec labor ullus erit muliĕrem sternere turpem
poteras plus simplici modo labanti prosodiae succurrere, corrigendo ex. gr. *muliebrem* sternere *cunnum* sive *meretricem* stern. turp. — frustra utrumque ni fallor. Namque *noverīmus* formam cum admiserit Prudentius producta in terminatione i, et in ipsius vocabuli corpore *redīmere*, *rubīgine*, Boethius *īturus*, Martianus *hăbitu*, quid, Ovidius *Macĕdoniaque sarissa* (in nomine licet proprio) cum non veritus sit dicere, equidem non video cur *muliĕrem* nostro abjudicatum eamus.*) Et in nomi-

*) Quocirca non debebam fortasse in textu *mulieris* loco sufficere *matronam*, collato versu 769.

nibus quidem propriis — namque ad haec delati sumus — mirum est quantum poetarum chorus qui hic in censum veniunt, sibi libertatis sumpserit. Ovidianum, quod modo vidimus, nolo afferre (quo adde ejusdem poetae *Phȳlacides*), ne summum metri artificem mali consortii affinem faciam, nec Persius illis accenseri debet propterea quod producta prima dixerit *Pōlydamas* (ne mihi Polydamas et Troïades Labeonem cett.) itemque Silius Italicus *Pōlydamanteis* (cujus simillimum est quod Martialis quamvis in appellativo nomine sibi indulsit *pōlyposus*) — sed audi Sedulium ceterosque Christianorum, *Simŏnis*, *Darĭi*, *Socrătes*, *Euripĭdes*, *Asiagĕnes*, *Salămis* metientium, audi Sidonium Apollinarem his versibus plus uno loco peccantem

Quidquid Pythagoras Democritus Heraclĭtusque
Quidquid Anaximenes Euclides Archȳta Zenon

omniaque pervertentem Venantium Fortunatum ita:

Archyta Pythagoras Aratus Cato · Plato Chrysippus.

Prorsus eadem noster licentia usus est in nominibus quae sunt *Pylades*, *Iphigenia*, *Aegisthus*, primum ut constanter hac usurparet mensura:

Pўlādēș, alterum modo hac *Ĭphīgĕnĭa* modo hac *Iphĭgēnia*, nusquam vero legitima, tertium denique ubique mutata in ĕ diphthongo diceret *Egistus*, quocum conferenda quae supra citavi minime nomina propria *mĕror* et *quĕsumus*, Flavii Felicis illud, hoc Luxorii. Ante quos nescio an non minus audacter *Clytemnestrae* nomen Ausonius in *Clytĕmestra* breviarit.

Sufficiant quae hucusque disputavi ad nostri auctoris aetatem quantum ejus fieri potest ernendam, quam in universum de indole ex singulis indiciis conspicua judicanti vix puto videri saeculi quinti exitu sive initio sexti esse priorem, immo non nemini posteriorem, et haud quidem temere Nec lubet poeticarum quibus vel pollet noster vel caret virtutum recensum agere, neque enim quicquam inde redundaverit ad quaestionem primariam, quae est de aetate, nec sane operae facturus sim pretium. Unum hoc addo, ἀθροισμοῦ qualia noster exhibuit haud sane vulgaria: v. 557

pectora cor sensus animum praecordia mentem
conturbat pietas dolor angor maeror origo
affectus natura pudor reverentia fama

v. 834

per freta per campos per silvas flumina montes
v. 214
finde secure caput cervicem colla cerebrum *)
horum igitur dico simillima inveniri apud Sedulium in Hamartigen. velut:
ira superstitio macror discordia luxus
sanguinis atra sitis, vini sitis et sitis auri
livor adulterium dolus obtrectatio furtum
et:
..... cumque arva polum mare sidera ventos —

Quae vero quantaque in asyndetorum usu et ratione non indulserit sibi potius noster quam contra omnem et venustatem et traditam consuetudinem peccaverit, verbo indicare malo quam plenius persequi; hoc dico, ita rem esse constitutam, ut vel salvis ceteris omnibus quae ad rationes grammaticas metricas prosodiacas pertineant, ex solis asyndetis agnoscas scriptorem a vegeta Romanorum re atque lingua longissime diutissimeque remotum.

*) conf. praeterea vv. 774 sol pietas elementa poli mare flumina tellus.

Gaudia moesta canam detestandosque triumphos,
uictoris pro laude necem, festiua cruenta,
funeris effatus et lamentabile uotum
coniugis Iliacae, non quae iugularat Atridem,
aurea regali rutilantia serta cruore
et diadema ducis foedatum tabe cerebri,
matris in exitium memorem oblitumque parentis
inpietate pium reprobae probitatis Orestem,
iniustos, sed iure, deos ratione feroci
insontemque reum, purgantia templa sororis
Threiciae, virgo cui dat de clade salutem
fraude pia mendax melior germana sacerdos.
Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis
et pede dactylico resonante quiescat iambus.
da ualeam memorare nefas laudabile nati
et purgare foro quem damna[nt inpia facta],
quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira,
mens labat, adtollunt animi, bonus inpetus urguet,
dat furor arma pius, pietas dat noxia ferrum
et medicinales nequeunt sanare liquores

— — — — — — — — —

extinctos titulos uictriciaque arma sepulta,
criminis ultorem dum criminis occupat auctor
et thalamis uindex thalamos rex ante necatur.
ante toros iacet ille tori genialis amator,

ductorum ductor, regum rex dux Agamemnon
post dua lustra redux post duraque bella triumphans.
Martia bellipotens referebat classica princeps,
puppibus Argolicis rex Pergama uicta reportans.
Iliacasque nurus et Troica germina matrum.
diuitias Asiae rex censens corde silenti
maxima Fulmineo dictabat dona Tonanti,
optima Iunoni scribebat munera magnae
atque Minervali dona [ampla] addebat Athanae
omnibus et superis, Danais quicunque fauebant;
nescius uxoris scelerumque ignarus Egisti
dona Clytaemnestrae non dignae multa parabat,
plurima subridens genitor disponit Oresti,
quae aptabat pietatis amor uel origo parenti,
non tamen aequa suis meritis animisque futuris
dona uerecundae seruabat pulcra puellae.
  interea findebat iter per caerula ponti
irato tranquilla deo recidentibus Euris;
candida fluctiuagi tendebant carbasa uenti
quo non cursus erat, sed quo dux inpulit aether;
Taurica perducunt ad litora castra Pelasga.
inperat indomitus praedam praeire Mycenas,
ipse secuturus post uota soluta Dianae.
ingreditur templum supplex, ueneranter adorat
numina casta deae. dum ferret munus ad aram, —
stamina purpureum pingebant serica uelum,
pepla coruscabant uariis gemmata lapillis, —
uidit Iphigeniam thuribula sacra ferentem.

haeret et attonitos oculos in uirgine figit,
obstupuit pietas et mens sibi conscia praui.
agmine pro Danaum cultro feriente litatam
nouerat et similem nasci potuisse putabat.
candida uirgo tamen plus iam cognoscere patrem
coeperat, officium citius dedit ipsa ministrae
istaque continuo summum uas igne repleuit.
regia uirgo cito per patria colla pependit,
oscula pura petens et dans conmercia munda;
mox imber rigat ora pius nataeque patrique.
conticuit genitor, dum uultus gaudia plorant
et gemitus crebris singultibus oscula rumpunt;
tandem uocis iter pietas reserauit et infit:
filia, noster amor sed noster nata reatus,
uiuis an effigies et imago uolatilis extas?
si uiuis neque dis sacrata es morte dicata,
gaudeo; da ueniam, si corruis ense deorum,
— — — — — — — — —
nam uiuam te membra docent tactusque fatentur.
dic igitur, qua sorte uenis a matre diremta
ad delubra deae circumdata tempora uitta
et, quod plus miror, nemoralis sacra Dianae?
dixerat haec genitor, cui sic est uirgo locuta:
cum, pater, Hectoreos peteretis classibus agros,
fraudis Ulixeae formatur epistola mendax,
nomina uestra tenens, quasi iusseris ipsa uenirem
ocius ad thalamos coniux sponsantis Achillis.
credula mater erat, quae me conmisit Ulixi,
nec uocor ad thalamos sed uictima trador ad aras

mitis et ad pia templa deae miserante Diana.
pro me cerua datur caedenda uicaria uilis.
sic rapior cultris et seruio thuris alumna.
casibus auditis doluit gauisus Atrides,
qui numen uenerans grates agit atque precatur:
plectrigeri germana dei Letoia Phoebe,
nomine tu quocunque dea praeclara uocaris,
numine mox ipso praestas quodcunque rogaris,
mitior existens, sacrum largita cruorem,
luctibus omissis donans lamenta parentum,
mucro sacerdotum ut feriat ieiunus et expers
sanguinis humani, contentus sanguine uili,
tu rapis ex aris animas et morte parata,
pignora redde precor regi post funera patri.
ut prosit demsisse neci, tibi, Delia, supplex
mille dabo pecudes, ceruos hircosque suesque,
cornibus armatas lunata fronte iuuencas.
nil actum Trojae est, si non comitante Mycenas
uirgine pergo redux plangenti reddere matri;
quam putat extinctam uestra pietate redemtam
sentiat et uertat proprios in gaudia planctus.
his prebicus commota dea crudescit in iras,
auertit uultus oculos mentemque rogatam.
sensit ut armipotens flammari corda Dianae,
terretur retroque pedem cum uoce coercet,
tristis ad aequoreos celerat uestigia fluctus,
puppibus inpositus proscindit classibus aequor.
  interea dum carpit iter spumantibus undis
fama Mycenaeas uolitans repleuerat oras

aduenisse ducem ditatum sorte duelli.
nec mora praeda uenit palmatis puppibus omnis,
occurrunt oculi Danaae de turribus urbis,
moenia femineis replentur cuncta cateruis.
captiuos uisura Phryges Agamemnonis uxor
adfuit, aduentum metuens inpura mariti.
qua uisa cessere loco matresque nurusque,
constitit inspiciens ut adultera regia coniux,
publica clam nigris exsecrans gaudia uotis,
anxia sollicito quatiuntur corda pauore,
supplicium exspectat scelerum ueniente marito
atque oculos per cuncta iacit stimulante timore,
et pallor premit ipse genas fervorque recedit,
atque hymen infelix animo obuersatur adulter.
ast ubi non uidit descendere puppe tyrannum,
inpunita putans sua crimina posse manere
gaudet et internae mentis secreta fatetur
permixtus candore rubor pallore fugato,
et lasciua reos pulcrescunt gaudia uultus.
credidit aequoreas quod rex sit mersus in undas,
nec uult scire moras, tantum contenta, quod absit,
et celeri cupit ire gradu dictura maritum
non reducem moecho, sed spes ibi fallitur audax.
 praeterea sors regis erat Cassandra sacerdos,
inter Dardanias clades Danaumque triumphos
non habita indigne, licet esset portio praedae.
ipsa Clytaemnestrae sacro correpta furore
longius acclamat: salue regina Pelasgum,
ultio Dardanidum, captae solatia Troiae,

tuque triumphalis domitor bone pastor Egiste,
plumea cui praestant post pelles stramina lectum,
quem post tecta casae regalis suscipit aula,
quid dubitatis adhuc uestros releuare timores?
perdite, ne pereat uestri cito fructus amoris;
tempus adest et fata iubent et culpa perurguet;
amputet eripiens uictricia colla bipennis:
uos licet et similis maneat censura malorum,
sit saltem mora longa reis, dum crescit Orestes.
uictima carnificis nati post funera patris
mater eris, tecumque ferox ferietur adulter
Pyladis fodiente manu, mihi credite vati,
heu, miserum furor alter habet purgandus Orestem.
dixerat et classem retinent per transtra rudentes.
prouida terruerant reginam dicta nefandam,
it pallor super ora redux facinusque parare
disponit sub corde truci, furor urguet amoris,
sollicitusque timor grassatur mente pauenti.
moesta domum quasi laeta redit terrente pauore,
ingrediens thalamos suspiria longa trahebat
cõrde premens gemitus et gaudia uultibus aptans.
quid rumor, quid fama ferat, quid nuntia portent
auribus adtonitis lasciuus quaerit Egistus.
quae sexus armata dolis sub fraude latenti
incipit effari; iuuenis, dic, quid sit agendum.
occidimus, redit ille meus post bella maritus
uictor et armatus telo mordente, minatus
moribus Argolicis leges inducere castas,
tristibus inperiis alieni criminis ultor.

quid faciet pro iure suo? moriemur inulti
et periet iam noster amor, mactabit utrumque
fervidus ante diem, solitus punire nocentes,
letifero mucrone ferus; spes nulla salutis
est, nisi uitalem contemnimus ambo salutem.
gloria belligeri feriatur et arma tyranni,
et prior occumbat quam nostros sentiat ignes,
prospera bellorum quem sic fecere superbum
et Priami fortuna cadens, ut sanguinis iste
degener humani uilem putet esse cruorem.
per te casta negor, per te fero damna pudoris,
nec uolo tam multi sceleris me perdere fructum.
an uerbis inimica loquens extorpeo factis?
communis nos casus habet uitaeque necisque,
est nobis commune bonum, commune periclum,
sors pariter nos una manet, iubeoque rogoque
pastorem regina monens formidine mortis,
territa sollicito miserandi femina sexus.
conueniens tamen hortor opus, dum congrua uitae
inpero, ne moriar tecum peritura cruente;
nam mecum miser ipse cades Agamemnone uiuo,
inpie, funereis nos casibus eripe sollers.
semper enim securus erit qui perculit hostem,
nec labor ullus erit uictorem sternere ferro,
et patet insidiis nullo terrente quietus.
non est quem metuas, breuis est et paruus Orestes,
unaque natarum cinis est per templa Dianae,
altera, sexus iners trepidans miseranda, quid audet?

exulat interea Menelaus frater Atrides;
quicquid ages inpune geris, scelerisque peracti
sic merces non poena datur, felicior ibis
atque Agamemnonio regno potieris et aula;
exemplumque recens tibi iam superaddo, Lacaenam
interfectricem tot regum tot populorum
uiuere felicem post funera tanta quiete;
nec metuam Danaos, heredem sterno Thyestis.
dixerat haec mulier, spes est data maior Egisto.
tramite, dic, quo, pastor ait, geminare ualebo
hoc tam grande nefas, labor est extinguere regem
atque triumphantem, quod plus, in principis aula.
tunc pandens regina uiam scelerata profatur:
bellorum maculis et crassam sanguine uestem
rex ferus indutus ueniet, mutare necesse est
indumenta duci, tunicam dabo uertice clauso.
dum caput indutum cupit exertare tyrannus,
adgredere praeuentum et atrox uiolentus Atridis
finde secure caput ceruicem colla cerebrum.
ultima res tantum quae restat sola iuuabit;
consilio succumbe meo, haec una medela est,
luctibus inlatis auertere funera nostra.
dum moror, adueniet nostri modo criminis ultor.
haec infausta loquens lacrimis simul ora rigabat.
turbidus in ferrum rapitur flammante timore,
audacem faciebat amor terrorque proteruum
et mouet armatos ictu quatiente lacertos
absentemque ferit pauidus quem non uidet hostem.
sic solet anguis hians obsesso fonte uenenum

fauce parare necis fatis mortalibus aptum
pectore sublatus lingua uibrante trisulca.
  motibus his mulier melius gauisa resumit
turpiter infames animos, redit illa uoluptas
inplentem amplecti, per rustica colla pependit
dulcia lasciuis defigens basia labris.
ille uicem reddens dabat oscula crebra per artus.
  dum commune nefas aequali mente fruuntur,
regia puppis adest uariis ornata coronis.
hinc magis audaces animos de crimine sumunt,
illa rapit tunicam, pastor rapit inde bipennem,
officio stat quisque suo, celatus adulter
intra claustra latet, mulier progressa parumper
morte maritali tunicam subnisa ferebát.
rex rate descendens tacta tellure triumphat,
bellorum maculis rutilabat, sanguine pulcher,
grandis in aspectu, pugnarum horrore decorus,
qualis erat referens caelo post bella gigantum
Iuppiter astriferam stellata fronte coronam
atque coruscales fundebat uertice flammas.
pignora naturae concurrunt dulcia patri,
itur in amplexus, et reddunt oscula nati.
lumina uoluebat genitor uisura iugalem,
pergit et ad thalami post publica limina portas,
inpia quae reducem fallaci uoce salutat:
belliger armipotens, cultus depone minaces
atque habitus dignare pios uix pacis amator.
en tibi uestis adest nostro contexta labore,
aurea purpureo radiantur fila colore.

dixit et exutum tutanti tegmine regem
callida funereo perfundit corpus amictu;
sed capiti dum quaerit iter tunicaeque fenestram,
illa manum retinens armatum accersit Egistum.
erigit ille trucem dextra uibrante bipennem
et ferit incautum caput inpius inpete mortis
ac diademalem frangit cum uertice frontem,
in partes hinc inde duas, geminantur et ictus,
terque quaterque ferit, diffundit in ora cerebrum.
regina laudante manu rex concidit insons,
saucius et tremulo quatiebat corpore terram.
sic aper inplicitus uenantum cassibus ingens,
dum cupit exiliens euadere retia toruus,
concutit ora ferox spumantia dentis adunci
et perdit uacuos conlisis morsibus ictus;
sic Asiae domitor consumtus fine cruenta.
heu, pastoralis populavit membra securis.
aspera sors hominum uel mens ignara futuri.
credere quis posset, si centum flatibus acta
Delphica fatidicos quateret cortina recessus,
antra mouens tripodasque ciens et plectra fatigans,
eversorem Asiae foderet quod cultor agelli,
aut desector iners ouium pecorumque magister?
et caret igne rogi dederat qui Pergama flammis?
discite felices non unquam credere fatis.
sunt faciles dare summa dei, tamen ante relinquunt
et miseris in fine nocent aut forte repente
destituunt poenasque petunt de sorte secunda.
credere qui non uult, Priameia fata reuoluat

atque Agememnoniam uideat male credulus aulam.
clade repentina premitur Pelopeia uirgo,
sed tamen ultorem patris seruauit Orestem
faucibus eripiens germanum Electra parentis.
inposuit pupi secumque adduxit Athenis
et bene sollicitum studiis sapientibus addit,
quae ratis auexit regem, haec quoque pignora regis
spesque Agamemnonias et Troica gaza reportat.
cuius erat nimium fidus Pylades amicus.
iunxerat hos studium sollers et gloria linguae;
uelle fuit commune uiris et nolle duobus;
exercebat opus iuuenes si forte palaestrae,
pacatum luctamen erat; per lustra ferarum
uenandum cum erat, socios uenatus habebat;
cornipedem si quis celerem frenabat habenis,
hoc imitans faciebat amor; proludere telis
si fuerant animi, iuuenis iaciebat uterque.
par uenus inbuerat pueros, si calculus esset.
nec uinci quisquam metuens nec uincere feruens.
sic amat atque fouet germanum Castora Pollux
et paribus uotis Pollucem Castor amauit,
mortibus alternis et uitae damna repensant.
uestibus induitur Tyriis homicida et adulter,
et poenale caput cingit diadema coruscum.
tanquam legitimus heres Agamemnonis aulae
quem magis heredem conuenerat esse Thyestis,
intrat et orbatum per singula quaerit Orestem.
ast ubi res Danaum defossas sentit Egistus,

Troianas raptaret opes spes una manebat;
has quoque cognouit regis cum pignore raptas.
aestuat inpatiens, quod regni nomen inane
offendit, quod perdit opes, quibus esse tyrannus
posset et armari ferroque auroque ualeret.
callida participem sceleris solatur et arte
fraudis et ancipitem confirmat in arte manere,
femineas ostentat opes quas sexus habebat
et diademales profert [blandissima] capsas
turpibus inducens pretiosa monilia membris.
his, ait, Argolicos emimus per regna fauores
muneribus, proceresque nouos ueteresque trahemus
in nostram transire fidem, nam principis uxor
cuiuscunque libet, licet extet pulchra pudica,
censibus his se ornat, nitens placare maritum
adgreditur, praestructa suae dulcedine linguae,
diuitiis ornata meis, et dulce uenenum
auribus adtonitis fundet blandita perite,
mollibus artifices iungens amplexibus artus,
et faciet nobis sublimes sexus amicos.
pulchrum sane aurum, sed femina pulchrior auro,
auro foeda placent, auro decorantur honesta,
emollit Cytherea trucem per proelia Martem.
crede mihi, iuuenis, de sexu femina tracto.
artibus his sollers animos reparauit amantis,
et gratis gauisus agit muliebribus ausis;
sordida mens regnare cupit, dux sceptra tenere.
extinctum sub fraude ducem nil tale timentem

coniugis insidiis, ausu pastoris iniqui
— — — — — — — — —
et tacito sub corde premunt. de principe ciues
murmure sollicito flentes haec dicta loquuntur:
inpia si Lachesis Parcarum lege bipennis
censuerat regem tam turpi morte perire,
illum bellatrix utinam strauisset Amazon
Penthesilea fremens, quam uix euasit Achilles,
et non infami prostratus morte perisset
crimine cum gentis Danaum, cum clade suorum,
nec pede tractus humi iacuisset ab arce remotus,
— — — — — — — — —
cuius honore carens tumulatur nocte cadauer.
  dic mihi, Musa, precor, qua re materna nouerca
quaerere neglexit pueros et tradere captos
patris in occasu? Dorylas libertus Atridis
et pueri nutritor erat fugientis Orestis;
consilium mendax sollerti pectore sumsit
fingere, quod pelagus rapidum demersit Atridas
fluctibus aequoreis, qui stans in litore dixit:
di maris et terrae, pietas et origo bonorum,
naturae caelestis amor, mendacibus ausis
uos precor adnuite, fallacia uota iuuate,
credar et aduertar mendax adsertor Orestis.
tollere nam insontes cupio de sorte paterna,
quam mater plectenda parat uel uitricus hostis!
  dixit et undiuagis uestitus fluctibus intrat
in mare caeruleum, tumide spumantibus undis
mersus ad usque caput, tunc litora sicca petivit,

turbidus haec plangens funesta, adcurrit ad urbem
et querula sic uoce boat: pro Iuppiter, hostes
sic placet ulcisci Troes, sic perdere Graios?
pro Phrygibus pelagus saeuit, mare uindice Troiae;
quod pueri gessere nefas, quid mollior aetas
gessit in Iliacis bellorum tempore campis?
nec fuga sit miseris oblata per aequora uectis?
uidi ego mergentem fluctu sorbente carinam,
in qua uectus eram comes et nutritor Atridum,
de qua solus inops euasi remige planta.
Esto Clytaemnestra inmitis, crudelis Egistus,
saeuior unda maris, quae nec post bella pepercit
pignoribus Danaum, felix iam Troia uocanda.
dixerat haec ubi uoce pia, raptatus ad aulam
muneribus cumulatur opum, quod gaudia ferret
mentibus incestis; nam mox regina proterua
inperat acciri populos. uenere coacti,
aedibus in mediis quae sic exorsa profatur:
eximii proceres Danaum populique pusilli,
quos Agamemnonii per ferrea lustra triumphi
non mersere neci, sed adhuc superatis inanes
uisceribus uacuis, exhausti sanguine fuso,
quod uos sic minuit saeuis Bellona duellis,
regis culpa fuit, qui exhausit ciuibus urbem,
tot nisus uiduare nurus, orbare parentes
et natos spoliare rudes pietate paterna.
inde ferox percussus obit sub morte securis,
cui sua conticuit proles modo uindice fluctu.
spondeo iam requiem placidam, sperate quietem,

otia pacis erunt, nullum nocturna cubantem
classica sollicitent, nullas tuba uerberet aures,
temporibus licitis blandos decerpite somnos.
aspera tela uacent, curuentur falcibus enses,
ossibus a uestris deflexis cornibus arcus
ad solas aptate feras celeresque uolucres,
deliciis epulisque bonis refouete senectam,
pignora natorum dulces nutrite nepotes.
unica mors restat morbis finire salutem;
tramite naturae finem labentibus annis
iam sperare licet, non propter uulnera ferri
corporis exitium, fas est sperare sepulchra
ordine legitimo, flammas sperare rogales,
et tumulum sibi quisque paret post busta perennem.
germinis ille sui crudelis et inpius hostis
rex Agamemnon erat, patriae dominator amarus,
ciuis Egistus erit me perficiente maritum.
  dixerat et cunctos discedere iussit ab aula.
ac domibus remeare suis, sed uilis adulter
nescius atque rudis regnorum frena tenere
ipse sibi genium fastu facit, ore minaci.
asper erat famulis regalibus aduena, seruis
inperium non mite dabat, quibus ipse profecto
si famularetur, crimen sibi turpe putaret
sceptra triumphorum data de pastore tyranno,
pro pretio scelerum, mercedem sanguinis ostrum.
matronale nefas, uxorem dedecus aulae,
quis, rogo, non gemeret? tamen hos formido iubebat

infami parere throno, timuere subulcum
acrius, Hectorios qui non timuere furores.
*(ius Agamemnonium fuerat post Pergama capta
uerbero plectibilis, comes armipotentis Achillis.)*
occidit regem Tomyris, regina Scytharum,
sed nil turpe gerens uindex fuit illa suorum;
si fecit Medea nefas, flammata dolore
dulcis amoris erat, cum regia tecta cremaret
inmemori uiduata uiro de pellice Glauce;
inpia Lemniades sumserunt arma puellae
atque maritali foedarunt sanguine lectos,
sed Veneris furor acer erat, facinusque nefandum
quod Scythicae gessere nurus in crimine tanto,
barbara turba fuit, at tu, regina Pelasgum,
Graecia quam genuit, legum fecunda creatrix,
clara Mycenaei coniux et uindicis uxor
crimen adulterii cumulasti caede mariti.
Alcestis meminisse iuuat, quae morte maritum
manibus eripuit, pia coniugis, inpia de se.
quid loquar Euadnen Thebanis ignibus ustam
et post fata uiri flamma crepitante fidelem
inpia quam pietas, affectus dulcis amaram
iussit habere necem, quae contra uulnera luctus
fortior igne fuit, crudelibus usa medelis
et simul ad manes cum puluere coniugis iuit?
pertulit urna duos, funus quos iunxit amantes,
coniugium felix, exemplum grande pudoris!
inpia sacrilego nupsit post fata marito,
pronuba flamma fuit, thalami rogus et pyra lectus.

quid sit honestus amor, multae docuere puellae.
dum regnaret iners Parcarum crimine pastor
et simul inlicito sese fruerentur amore
annorum septem spatiis et mensibus octo,
ibat alumna manus tumulis regalibus omnis
noctibus in mediis flens haec per tempora regem.
anxia quae gemitu et querulis ululatibus usa
temperie moderante tremit terrente pauore.
tunc ibi libertus sollers nutritor Orestis
euomit in gemitus uoces et uerba doloris:
optime rex quondam, sed nunc miserabilis umbra,
prosperitas cui saeua fuit, uictoria crimen
intulit, et mortem peperit post bella triumphus,
cuius adoratus constat per templa precantis
iratos audisse deos, placata negabant
numina prouentus: Danaos si uincere rectum est,
si gremio Paridis recubans erepta Lacaena,
nonne laborastis Helenam ne pastor haberet?
ecce, tuam nunc pastor habet. si transitus est mors,
si sensus post fata manent, post membra soluta
si remanent animae, si stat post fata superstes
spiritus, exaudi lacrimas luctusque tuorum,
rumpe solum, findatur humus telluris hiatu,
nisus et armatus subito furialibus umbris
surge, uelut quondam tumulo surrexit Achilles,
exige supplicium de coniuge, soluat adulter
tot poenas, quot membra gerit, morieris inultus
et pastor tua regna tenet. post busta seuere

exegit mortem de uirgine Thessalus heros.
moribus innocuis tu dux inpune relinques
tot scelerum auctores uictricia regna tenere,
di, regitis quicunque chaos crudele barathri,
rumpite tartareas proscisso gutture fauces,
mittite uirgineas funesta in tecta cerastas,
ne dubitate, truces uenient ad regna Thyestis,
notum iter inuenient, sua per uestigia current.
non estis Furiae, si quaeritis ante rogari,
ad quodcunque nefas, vestra nisi sponte uenitis.
sed dubito quia iusta petens, tamen oro cruenta.
spes mihi maior adest, Thebis uicina petuntur
moenia tartareis quondam sacrata tenebris
et claro priuata die sub luce diurna;
ergo precor, cum iusta truces sententia mortis
participes scelerum percusserit ense seuero,
uos Acherouteis tortoribus addite flammas
et Furiis augete malum inmortale perenne,
torqueat auctores scelerum crudelis Enyo;
non sat erunt quaecunque reis tormenta paratis.
dixit et ex imo gemuit uox missa sepulchro:
parcite funesto mentem uexare dolore,
meque piis onerare malis, releuare sepulchrum
debuerat famularis amor, quem pessima coniux
criminibus succensa suis et amore pudendo
uel fama prostante sua muliebribus armis
extinxit, cui uictor eram regressus ab hoste
retro decennalis fraternique ultor amoris,
ultor adulterii, quem fudit adultera coniux,

nec timuit foedare domum, maculare penates
inpete mortifero subita tunc fraude profana.
at nec inultus ero, ueniet his poena cruenta.
sed ne plura loquar, uera est Cassandra locuta,
credite Cassandrae, uerax Cassandra sacerdos.
dixit et abscedunt omnes linquendo sepulchrum.
illa nocte tamen uolitans Agamemnonis umbra
uenit Athenaeis mox sedibus — altus Orestes
illic quippe fuit, cum quo Pylades amicus —
flatibus alternis perflans cònmercia somni;
lassus uterque fuit, concussus amore palaestrae,
et stetit ante toros ambobus uisus Atrides
in somnis, non qualis erat post bella triumphans,
sed qualis cecidit percussa fronte bipenni,
tristis iners tremulus gemitu suspiria rumpens
pallida puniceo perfusus et ora cruore
et tremulas languore manus ceruice uaganti
ac pede uincla trahens, quibus est abstractus ab aula:
non pudet, o iuuenes, dixit, pubentibus annis
uestitos jam flore genas lanugine crispa,
grandibus instructos studiis et fortibus armis,
ut pastor mea regna notet? prostratus in arce
sanguinea mercede luat sub crimine multo
laetus et indomitus tumida ceruice supinus.
audiat infamis, uos non, ut fama, perisse,
si peto Cecropidas uindictam sospite nato,
incolumi Pylade suo. Patroclus Achillem
Thesea Pirithous non sic expertus amauit.

armati gladios in bella domestica ferte
atque adfine nefas cognato abstergite ferro.
nullum crimen erit matrem punisse nocentem,
morte maritali sceleratam iure necabis,
natus amore pio flammatus morte paterna,
uindicet ut patrem qui matrem strauerit ictam
crimina purgabit matris de tempore prisco.
nam patrem docet esse suum, quem uindicat armis
dignus adulterii uindex, pius ultor et heres
noster, amor Danaum, sunt odia saeua deorum.
ite pares animis, uobiscum uernula turba
saeuiet, irati potius quod tardius itis.
ore fremunt famuli, qui carpere dentibus optant
corpus Egisteum, uel uiua tradere flammis
coniugis infandae crudelia membra cremanda.
dixerat haec, gemitus somni rupere quietem.
mox Agamemnonia proles instructa sodali
dum narrare parat, sua somnia noscit ab ipso,
ac stupet adtonitus, quae tanta potentia patris,
tempore sidereo mentes monuisse duorum.
dic mihi, frater, ait, dic iam modo, quid sit agendum,
pectora cor sensus animum praecordia mentem
conturbat pietas dolor angor moeror origo
affectus natura pudor reuerentia fama,
transigo funereum materna in uiscera ferrum,
uiscera, lucis iter uel magni ianua mundi.
quae perpendo diu uix primo mense peracto
conceptus portasse meos stimulante dolore,

semina naturae, blandae primordia uitae.
ast ubi sortitus nascendi iura peregi
flumine pectoreo dedit ubera lactea labris
dulcia nectarei fundentia mella saporis;
fit nutrix, quae mater erat, regina ministra,
exhibet affectus patrios ignara soporis.
haec pater, haec mihi mater erat pugnante parente,
donec ab undecimis aetas me educeret annis.
inmemor existam tantorum in matre bonorum,
an pater extinctus per me remanebit inultus?
facta luat pastor, solusque superstite matre
corruat et patrios manes satiato cruore,
poena sit haec matri ut prostrato uiuat Egisto
ante oculos recidente suos, muliercula tristis
aspiciat moechum, quae gaudens uidit Atridem.
  dixerat haec dubius, sed non cunctatur amicus,
dentibus infrendens suspiria traxit ab imo
pectore longa ferox et sic aggressus Orestem
increpitat: si sensus iners tua corda tepescit,
ut facienda putes, quae nec dicenda fuissent —
dicere grande nefas, scelus est audire nefandum —
imus ad Argolicas ueniam donare Mycenas
criminibus matris. magis est quae dignior hora
ad scelus indignum? ceruix ferienda duorum.
quaeso caue iuuenis Danaum aspera dicta dolentum,
ne, iugulatricem patris dum uiuere censes,
credaris non esse suus. non iure parentis

umbra, soporatum quae te conuenit Athenis,
occurret per mille uias, per limina portae?
obsidet tremulis te uocibus oestra lacessens:
inmeritum sic nate paras defendere patrem,
sic decet extincti,genitoris fata dolere,
sic dabis inferias nostris tu manibus ultor?
uitricus optabit tali se morte perire,
ut sit quam post membra rei crudelibus umbris
ingerat inferias animam parcentis Orestis;
uictima seruaris, fuerit nisi uictima mater.
quid facias genitore tuo tam moesta loquente?
parcitur infaustis, pius es pietate repulsa.
ad tumulum patris fundantur membra reorum,
surge iuuentutis melior spes, consule regno,
excitet ingenium uirtus et gloria mentem,
armentur pietate manus, crudelior ensis
truncet in extremo gemitu fera colla duorum.
ibo libens comes ipse tuus per tela, per ignes,
nec metuam quenquam, nostri sunt patris alumni,
sed dabo consilium sollers nec inane salubre:
explorator eam, tacitaque hos uoce monebo,
aduentus sperare tuos, quae turba ministra,
credula dum fuerit, nobis mox corde fauebunt
ac pro te rapient gladios; sic tutius itur.
   talibus adloquiis accensus felle doloris
erigitur iuuenile fremens mortemque minatus,
dentibus inlisis frendebat murmurme morsus,
et quasi aduterium caperet pastoris Egisti,
matris in amplexus infamia membra ligantis,

perculit absentes nullo moriente reorum:
qualiter infremuit post somnia Pyrrhus Achillis,
quae sensus monuere suos, cum nocte sopora
Aeacides stimulans duci deposceret heros
uirginis inferias in Pergama saeuior umbra,
ergo ubi consilium placuit Pyladis Oresti,
mentibus armantur, solis mucronibus usi
callibus occultis, qua semita ducit euntes,
ibant obscuri quaerentes ausa latere,
donec in infames iugulos uindicta ueniret.
sic Diomedeos gressus comitatus Vlixes
Dardana nocturnus peteret cum castra uiator,
sollicitum carpebat iter, non indice cornu,
non hic bellisonis quatiens clangoribus auras,
sed pede suspenso tacitus sine flatibus oris
ibat ab Argolicis progressus puppibus audax
fortior Oenides, sollers Laertius heros:
sic tacite iuuenes ambo petiere Mycenas.
qui dum iter inceptum peragunt, nutritor Orestis
apparet Dorylas subito trepidantibus illis:
unde uenitis, ait, iuuenes, quiue estis, amici,
quoue tenetis iter? qui nullis uocibus usi
dum transire parant, Dorylas cognouit Orestem,
cuius in amplexum per dulcia colla ruebat,
uiuis alumne? sonans, quia uiuis, uiuimus omnes,
cessimus insidiis, dum luxuriatur adulter,
deliciis fruitur, polluta matre potitus.
templa triumphantum, regalia tecta potentum,
et delubra deum uel puluinaria regum

crimine prostituens gaudet fecisse lupanar.
nos tamen ad tumulum magni genitoris euntes
plangimus adsidue cuius promissa tenemus,
quamuis Cassandrae fuerint responsa priora.
quod superest, cita poena reis, properate, sodales,
indole Cecropia, uobis diuina fouebunt,
regales famuli scelus hoc punire precantur.
ne dubitate, uiri, uestras accendere mentes
et capulis armare manus et stringere ferrum.
hunc stimulet pietatis amor, te foedus amici,
hinc dolor exurgat, hinc famae pulcra cupido.
nec labor ullus erit matronam sternere turpem;
rustica praeterea quae sit mora frangere membra?
dixerat haec senior, spes haec accendit amicos
accelerare gradus: prope iam non esse Mycenas
quisque dolet iuvenum. pergamus, dixit Orestes,
adceleremus iter, subicit Pylades et inquit:
ito prior senior, nos festinare necesse est,
audiat haec seruilis amor secretus in aurem
et subito speret nos quarta luce uenire.
dixit et abscedens senior praecessit ad urbem,
gaudia dant gressus celeres, quos denegat aetas;
iamque iter emensus fessus peruenit ad arces,
indicat occulte paucis, quia uiuit Orestes
et uenturus erit uindex sub luce futura
sanguinis auctoris, monitis urgentibus omnes,
ut taceant furtimque ferant cuicunque ministro.
cunctis nosse licet, solis nescire negatur
complicibus scelerum, ne se subducere possint,

aut armis conferre manum, defendere uitam.
aduentum ad domini retinet pars uernula portus,
altera pars aedes, pars obsidet altera muros.
reddidit interea rutilum post astra refundens
depositum natura diem stridentibus undis,
sol micat et melior conpensat damna Thyestis.
uiderat Atrides muros, quos liquerat infans,
et memor illorum dextram cum uoce tetendit:
salue, prisca domus, patriae saluete Mycenae,
execranda prius, sed post ueneranda manebis,
sanguine si matris cineres satiabo paternos.
sentiet umbra potens ultam se uindice nato,
quando Clytaemnestram percussam uulneris ictu
uiderit uxorem uelut auguris Amphiarai.
dixerat et trepidus muros circuminspicit hospes,
qua meminit carpebat iter comitatus amico.
postquam introgressum cognoscit turba ministra,
os Agamemnonium gressus oculosque minaces,
planctu gaudentesque fremunt sine uocibus oris.
iam portae claudantur, ait Pylades Oresti.
claustra ligant aditus, crepuerunt classica mortis.
securi stupuere rei, terretur Egistus:
non ego promisi Danais per saecla quietem,
nullus at Argolicis moueat qui bella remansit
Hectore consumto, Troia pereunte sub armis.
dicebat regina furens irata ministris:
uindico si uiuam mecumque senescet Egistus.
talia dum loquitur, quasi uindex saeua minatur,
una puellarum male concita currit anhelans:

uenit Orestes, ait, sed statim credita non est.
dum dubitant somnumque putant et uana locutam,
apparet uiolentus atrox Pylades in aula,
qualis in hoste fuit trux inreuocabilis Aiax,
Hectora cum peteret clipeo septemplice tectus;
ore fremens et fronte minax mucrone coruscus
intonat auctores scelerum: crudelibus ausis
regnastis nunc usque truces, euadere iustas
sperastis uos posse manus, modo saeua luetis
supplicia scelerum non una morte peremti.
  dixit et ad famulos ultricia uerba retorsit:
praecipitate nefas solio de principis ictum
et pede tractus eat fera uictima regis Atridis.
carnifices frangant spurcissima membra secures,
et pereat pastor qua regem morte peremit,
ante tamen nostram perfundat sanguine dextram.
dixit et exertum costis inmerserat ensem;
saucia membra trahunt famuli pede uincla ligantes,
postque fores portae, quibus est prostratus Atrides,
ossibus effractis minuunt per mille secures,
et male partitus per uulnera palpitat artus.
at genetrix dilata putat sibi parcere natum,
et secura sui iam pro pastore dolebat,
cum subito truculentus adest inmanior hoste
matris in exitium famulorum nisus Orestes
agmine terribilis, qui captam crine trahebat
increpitans: inpune tuum post funera patris
sperasti regnare nefas, tumuloque parentis
iungere natorum uoluisti fata duorum?

uiuo, uides scelerata parens, moriere cruente
et manibus iugulata meis super ossa mariti.
conturbata parens nudis exerta papillis
orabat natum: per te haec, precor, ubera parce,
per superos patremque tuum, per cara sororis
pectora, quae e nostro te tunc rapuere furore,
et per Pyladem, quod plus est, testor amicum,
da ueniam, miserere, precor, miserere parentis.
si dici sum digna parens. Tum natus: inanes
perdis, ait, lacrimas, genitor te expectat ad umbras,
Ilias ingemuit domini Cassandra ruinam,
nec fert Andromache famulans post Hectora Pyrrhum,
cum regina Phrygum fieret captiua Pelasgum.
praelato pastore ducis tu colla cruentas.
haec mihi Pylades meus inperat et soror urguet,
ut iaceas mucrone meo truculenta uirago.
ast ubi nil potuit mulier de prole mereri,
mox redeunt animo Phrygiae praesagia uatis.
si placet ulcisci genitorem, dixit, in ambos,
Pyladis me dextra necet, necet ensis, et idem
sit scelerum uindex et nostri criminis ultor,
et super ossa ruam recidens spirantis Egisti.
mixtus uterque cruor testabitur omnibus umbris
consortes scelerum, quos sors manet una malorum.
quod super ossa rogas moechi moribunda iacere,
natus ait, melius recides super ossa mariti,
nec cruor amborum miscebitur ense minaci.
criminibus ne fructus eat morientis amoris

aut operae pretium capiatis sorte malorum,
supplicio sociante nefas, discreta iacebis.
dixit et ad patris ueniens dat uerba sepûlcrum:
sancte parens, quia sensus iners et spiritus extas,
accipito inferias, quas offero, uictima iusta est,
macto Clytaemnestram matronam regis Egisti
atque utinam non ante tuam. solatia nosce,
nam iacet ille loco, quo tu percussus obisti.
aetatis mora iusta fuit; quod tardius hoc fit,
olim uelle fuit. subicit Danaeia mater:
sol pietas elementa poli mare flumina tellus
et rerum natura parens tuque atra uorago,
haec spectate, trucem et natum prohibete, parenti
qua genitus fuerit, mercedem hanc reddere lactis.
dixerat haec genetrix, surdis tamen auribus inquit
quod potuit pietas; uultus auertit Orestes.
sol negat almus equos iterum de more Mycenis,
atque tenebroso subtexitur aëre caelum,
et non legitimam timuit mox Graecia noctem,
extimuit natura chaos, elementa tenebras;
laudat Enyo nefas, dextram culpabat Erinnys.
pallia purpurea praestricto dente momordit,
concidit et tunicam manibus tendebat ad imos
usque pedes metuens, ne mortua nuda iaceret.
moesta uerecundo uoluebat lumina uisu,
uix semel infelix extrema in morte pudica,
quod non ante fuit, metuens in funere famam.
candida puniceo rutilantur membra cruore,

pondere corporeo pressas quatiebat arenas,
tandem iussa mori uitam cum sanguine fudit.
tunc repetunt pariter regalia limina torui.
sic duo terribiles fulua ceruice leones
caede iuuencarum satiati lustra reposcunt.
regia sanguineos susceperat aula sodales.
conueniunt Danai, regis sub honore salutant,
pars dolet Atriden, et pars dolet altera matrem,
nemo tamen facinus uerbis culpabat apertis,
nec fuerat quisquam qui non damnaret Egistum.
  transierat funesta dies, sol merserat undis
Oceano stridente rotas, redeunte sorore;
roscida somnigerum reuocabat plena soporem.
tempus adhuc medium uoluebant sidera noctis;
nuncius Hermione uenit de uirgine rapta
stirpis Achilleae Pyrrho praedante rapina.
mox furit Atrides, qui sic exorsus amico:
nos alius uocat, ecce, labor, raptatur adulta
sponsa toris promissa meis, tu regna guberna,
dum teneram eripiam clamantem nomen Orestis.
ibo ego per gladios flammas et mille cohortes;
non decet ultorem patris sibi quippe timere.
  dixit et accinctus capulo prorupit in hostem.
repperit Aeacidem subeuntem templa deorum,
adgreditur iuuenem securum, obtruncat ad aram
et redit ad Danaos elatus caede secunda.
  dum solio fruitur patrio diademate pulcher,
astitit ante oculos genetrix sua non ut inermis,
sed faculis armata rogi, subcincta cerastis.

ignibus admotis resolutos crinibus angues
ingerit in faciem iuuenis, mortale minatur.
terruerant haec monstra uirum, fugit atria lustrans,
sed sequitur metuenda parens, petit ille recessus
per secreta domus, illic magis inuenit hostem.
obice postposito mox ianua clauditur omnis,
repperit interius matrem in penetralibus aulae.
infremuit, conata loqui: crudelior, inquit,
inpie, non sat erat pietatis uulnus acerbum,
ni scelerata manus macularet sacra deorum?
claude adamanteas ferrato cardine portas,
obstrue per calcem si sunt tibi mille fenestrae,
omnibus ipsa locis adero tibi saeuior umbra,
per freta per campos per siluas flumina montes.
dixit et igne rogi crepitanti pectora turbat;
ast ubi perniciem non est fas uincere matris,
it manus ad capulum et crebris ictibus auras
diuidit et uacuam reuocat sine uulnere dextram
ac miser increpitat: meus est hic mucro cruentus,
quo meretix percussa iaces, feriere secundo.
dixit, et agnoscens gladium grauis umbra fugatur
aëra per tenerum, tamen, heu! remanente furore.
perfurit Inachius uindex Agamemnonis heres,
ut furit ex Baccho male sobrius ille Lycurgus,
ut furit Alcides saeua terrente Megaera,
ut quondam furuit Danaum fortissimus Aiax.
infremit, inpatiens tota discurrit in aula,
qui famulos matrem, matrem putat esse sodales.
mater erat quicunque fuit, uicinus ubique

aspis et ignis erat, fugit hos, simul adpetit illos,
Pyladis tamen haud facies terrebat amicum.
inter delicias epulis regalibus aptas
esurit et facibus prohibetur tangere mensas.
sic interna fame nimium torquentur inani.
prandia conspiciens dapibus conferta potentum
ingemit, ac nullus cibus est, sed imago ciborum,
quos nec ut adtingat furia accumbente uetatur.
quid faciat? quos ille deos, quae numina poscens
eliciat supplex? an Tartara regna fatiget?
  dum deflent omnes et tota plangitur aula,
alter adest gemitus, tristis dolor et metus ingens.
uenerat Andromachae soboles Pyrrhique Molossus
ultorem genitoris agens. Pylades Orestem
tollit et externas subtractum mittit ad oras.
litore constiterant, fuerant ubi templa Dianae,
mos ubi saeuus erat: miser aduena uictima ferri
ducitur arreptus; mox ipse statutus ad aras
uidit ut, armatur quod ferro more sacerdos,
expulsus terrore furor, mors proxima mentem
reddidit et partem tribuere aduersa salutis,
nam miser ingeminans Agamemnona saepe uocauit.
audierat sollers Iphigenia nomen Atridis:
hostia dic, quis eras, aut cur Agamemnona clamas?
saucius ille refert: ego sum miserandus Orestes
matre Clytaemnestra genitus, regnator Atrides
noster erat genitor. non ultra passa loquentem
proiecit cultrum percussa fronte sacerdos:
soluite carnifices trepidantia membra ligati,

sanguine corda uacant, non est haec hostia grata.
dixit ex exutum uittis submouit ab ara,
omnibus exclusis non se negat esse sororem.
sed uidet interdum uitiata mente furentem
nil sano sermone loqui, quem nocte precatu
purgat et ablata migrat cum fratre Diana.
ut patriam rediere suam, mox fama Molossum
instruit, accusat gemino de crimine Orestem.
legibus exhibitum mediis induxit Athenis.
consedere patres templum praebente Minerua.
surgit Achilleus stimulatus amore paterno.
sic exorsus ait: proceres, legalis origo
arguo mortiferum sceleratae mentis Orestem,
sanguinis oblitum, humani iuris egenum,
sacrilegum superum, perfusum sanguine matris,
quae dextra truncata sua est; sed et altera forsan
mater erat, Pyrrhus numquid fuit alter Egistus?
quem necat in templo caelestia dona ferentem
euersorem Asiae, natum armipotentis Achillis.
forte refert: quia mater erat scelerata, profana,
crimen adulterii cumulat quae morte mariti,
percutienda fuit. rea maxima iudice iusto,
non tamen ense suo. quid iam peccasse pudebit,
cui prius est in matre nefas? censete seuera,
Cecropidae proceres, decet ultio talis Athenas,
cuius in exitium sat erit non culleus unus.
talibus hic opus est: aequentur uulnera membris,
tempore sit modico uiuax laniando cadauer.
haec ait et tacuit, cui sic respondit Orestes:

summates Danaum, sapientes lumine cordis,
culmen Athenaeum, censores iuris honesti,
gaudeo securus quod apud uos causa mouetur,
sunt quibus uxores, quibus est affectus amandi,
et meminisse reor primaeui temporis annos
quid sit amor sponsae, thalami quae uota futuri.
dis superis grates, quod post tot funera mentis
arguor adsistens inter subsellia sospes.
incolumis ueneror sanctum per iura tribunal,
a licito discerno nefas. tractate, uerendi.
iustior inuenior, dum matrem uindicat ultor.
si ulciscenda rea genetrix, quid iam pater insons?
non de lite mea sententia uestra ferenda est,
sed de iure deum, qui me purgasse probantur,
dum medicinalem tribuunt per corda salutem.
nemo poli seruare deum, puto, uellet iniquum.
quis, rogo, sacrilegus, quis demens audeat almos
accusare deos, quibus est perfecta potestas?
scilicet accuset, uocet in certamina diuos,
quin, faciat facinus, praesumat bella gigantum.
forsitan obiciat, fuerint cur ergo furores?
cura doloris erat, proceres, non poena reatus;
taedia sollicitant animos mentemque fatigant.
Pyrrhus erat raptor, uindex paro bella rapinae.
arguit unus iners, quem conprobat ordo deorum.
quaeso, duces legum, sententia uestra resoluat
purgatum sub iure deum, sub sorte benigna.
dixit et inposuit moderata silentia linguae.
consilium petitur, facta tractantur Orestis.

mos erat arbitrii, quo dispar calculus iret.
albus adest uitae, nam mortem russeus urguet.
iudicii certamen erat, sententia duplex
disseparat, numerus par est utriusque coloris.
calculus albus erat habuit quem dextra Mineruae,
is datur ad uitae numerum, purgandus Orestes
dicitur, et procerum talis sententia perstat.
  si decreta deum homini tractare liceret,
posset Orestis opus legali tramite quaeri,
sed quia praescriptum facinus, clementia caeli
nec sinit anquiri, iuris censura quiescat.
quis temerator erit caelestia iura mouere?
non erat inpunis Paris arbiter ille dearum,
non praestatus erat iudex inpune Tonanti.
raptor obit Pyrrhus iusto mucrone peremtus.
quod per templa ruit, fuit et perfecta potestas,
si uellent punire, deis, sed purus Orestes,
fitque redux patriae nullo damnante reatu.
actum erat, excipiunt populi clamore fauentes,
suscipit egressum Pylades laetus amicum,
amplexuque tenent laeua dextraque sorores,
quatuor et reduces laeti petiere Mycenas,
regia diuitiis replentur tecta relatis.
  Di quibus inperio est facilis concessa Tonantis
aëris et pelagi terrae caelique potestas,
uos pietas miseranda rogat, uos mitis honestas,
uos bona simplicitas, affectus sanguinis orat,
uos genus humanum, consortia sancta cruoris,
stemmata uos generis, cognatio cuncta precatur:

crimina Lemniadum sat erant, Danaeia facta,
quae thalamos fecere rogos, et facta Thyestis
innumerumque nefas, quod sit narrare pudoris.
ecce Mycenaea triplex iam scena profanat
Graiugenum famam; uestro iam parcite mundo
atque usum scelerum miseris arcete Pelasgis.

ADNOTATIO.*

A = Ambrosianus.
br = Bernensis.
Mr = Muellerus.

Incipit orestis tragoedia. br. *Horestis fabula ab enoch asculano reperta incipit.* A.

2 *festiua cruenta.* — 3 *funeris affectus* Mr. sec. codd. — 4. *namquae iugularet* br. *nonquae iugularat* A. — 5 *regalia* br. — 6 *cerebrum* br. — 8 *prebe probitatis* br. *horestem* A. *oresten* br. — 9 *feroci* br. *moueri* A. sed in margine adscriptum: *alias: feroci.* — 10 *purgantia* br. *sororum* br. A. sed A. in margine habet: *furorum.* — 11 *thracia* A. *tertia* br. *cui dat* A. — 12 deest in A. *melior mendax* br. — 13 *cuturnis* br. 14 *dactilico* br. *dactiliquo* A. — 15 *dalabem* br. *da ualeam* A. — 16 deest in A., in br. non totus adest. sensum complevi. — 18 *leuat* br. *bonus* A. *uonus* br. „et sic persaepe pro *b* positum est" *u. urget* A. — 20 *et med. quatiunt san. furores* codd. quod equidem non intelligo. — 22 *amputat* codd. — 23 *talamos rectante* br. *thalamo sectante* A. — 24 *tori regalis* br. *genialis* A. — 25 *regum dux rex agamemnon* br. — 26 *et post dua bella tr.* codd. — 29 *iliagasque* br. — 31 *flumineo* codd. (nisi sphalma est inprimentis). — 32 *tunonis scriuebat* br. — 33 *atque Minervales donis addebat Athenas* codd. — 36 *dicne* br. — 37 *horesti* A. —

---

*) Non exhibui interpunctionem a Muelleri editione saepissime discrepantem, quam ille provinciam tam negligenter administravit, plurimas ut sententias prorsus perverterit. Ceterum quae Muellerus in verbis correxit (sunt admodum pauca) singula litteris Mr. indicavi, ubicunque ad codicum scripturas nihil addidi, mea sunt, quae in contextu leguntur.

38 *parenti* A. *patena* br. — 43 *candido* br. *caruasa ponti* br. — 44 *lux* br. A. *ester* br. *aether* A. — 45 *pelasca* br. *pelasgi* A. — 46 *Mycenis* codd. — 49 *ferre* br. *feret* A. — 50 *seriga uelu* br. *serica uellum* A. — 52 *turiuulascra* br. *thuribula sero* A. — 54 *obstipuit* br. *praui* br. — 55 *cultor feriente litata* br. — 59 *esum* br. *summum* A. *mystica cont.* codd. — 60 *per pauca colla* br. — 61 *et das* br. *mundi* codd. — 62 *nox inberrigat ore* br. — 63 *cenitor* br. — 64 *gemitu crebro* A. *gemitus crebris sincultibus* br. *singultus* A. — 65 *uocis itu* br. — 66 *iulia noster ramor set* br. *nota* br. *nata* A. — 67 *qui ffigies*, in cod br. inter haec duo vocabula macula est. *uiuis an effigies* A. *isolatilis exta* br. — 68 deest in br. *si uiuis et non es sacrata morte dicata* A. — 69 *sit corruis* br. *sic corruis* A. Inter hunc et proximum excidisse versiculum perspexi. — 70 *actusque* br. — 71 *manes* codd. *dirempta* A. — 72 *deae posterarum tempora uita* br. *post tergum brachia uincta* A. *circumdata* Mr. — 73 *miror p . . . sacra* br. *miror memorali sacra* A. *nemorali* codd. — 75 *sacros* br. *agros* A. — 76 *ulixeueor firmatur* br. — 77 *uenire* br. — 78 *acillis* br. *achilli* A. — 79 *conmisit uliati* br. — 80 *oras* br. — 81 *mitis at pia* br. *et mitis pia templa* A. *demiserante dianae* br. — 82 *lucenda* br. *ducendo* A. *nullus* br. *nullis* A. — 83 *cultrix* br. *turis aluña* br. — 85 *agit precepto reture* br. *ait* (corr: *ast) precepta repertae* A. — 86 *peletri iuri* br. *letuia* br. *letima* A. *Letoia* Mr. — 87 *deae* codd. — 88 *prestas* br. *tribus* A cum correctura *tribuis*. *quodcunque* br. *quoque* A. — 91 *sacerd. febret* codd. *uibret* Mr. — 95 *dēsi senecti uidelia suplex* br. *dempsisse neci tibi delia supplex* A. — 96 *dauo* br. — 97 *armata* br. — 98 *nil altum troies* br. *nil actum troes* A. *Troiae est* Mr. *licenas* br. *micenas* A. —

100. *uestra pietate* br. *ara pietate* A, *redemp-*



tam A. „et sic semper interposito *p* cf. v. 71. 95." — 1 *planctos* br. *uultus* A. „sed a manu correctrice additum:" *luctus*.— 2. *dea crudea crudescit* br. — 3 *oculos uultus br*. — 4 *utramipotens* br. — 6 *ad uethereos* A. *ad aequor eos* br. — 7 *proscindens* br. *cursibus* codd. — 8 *praeterea* codd. — 9 *moeceneas* br. *repleral* br. *Myceneas* A. — 12 *dane de* br. — 13 *implentur* A. *caterbis* br. — 14 *capturus uisura reges* A. cum correctura: *phryges; captibos uisura friges* br. — 15 *adventus* codd. — 16 *quauis accessere lommatresque* br. — 17 *incipiens* A. *insipiens* br. *adultaera* br. — 18 *plantigeneris* br. *plantigeris* A. — 20 *exspectans* codd. — 21 *adque* br. *mandata timori* A. *mandante timore* br. — 22 *fervore recenti* codd. — 23 *attamen infelix* codd. *versatur* codd. — 27. *ruuor* br. *pudor* A. — 29 *aequoreis* A. *rexit merus* br. *undis* A. — 30 *concepta* A. — 31 *gradum* br. — 32 *moecos set* br. *fallit iraudax* br. — 35 *hauita* br. *licetesse* br. — 37 *salbe regna pelagum* br. *exclamat* codd. — 38. *dardardanedum capte solucia* br. — 39 *tu qui* br. *uone pastor* br. — 40 *lectum* deest in br. — 42 *aduc uestros relebare* br. — 44 *adest efata uibanter culpa* br. — 45 *iam putet e. u. collo pupenis* br. — 46 *censura pulorum* br. — 47 *horestes*. A. „et sic semper." — 48 *uinctima* br. — 50 *credi cari* codd. 51 *miserum f. a. h. purgandis* br. *purgandus horestus* A. — 52 *dixit det elisam* br. *dixit et elisam* A. — 54 *et pallor* br. — 56 *pabenti* br. — 57 *laeta reddit* br. *moesta domo* codd. — 59 *uultibus addens* A. *uultibus uptans* br. — 60 *nuntia* br. *numina* A. — 61 *adtonitis lascibus querit* br. *attonitus lasciuus* A. — 64 *post uela* br. — 65 *zelo* br. *telo* A. — 68 *faciat* codd. — 70 *turbidus* codd. — 72 *amuo* br. — 73 *gloria ut* (i. e. uel) *ligeri fer. et armara* br. *feriantur* codd. — 75 *uēllorum* br. — 76 *fortuna nocens* codd. *ut sanguinis usti* br. *et sanguinis*

ulti A. — 77 *humani generis* codd. — 78 *gasta* br. *per de fero* codd. (nisi sphalma est imprim.) — 79 *multis sceleris* br. *reperdere* codd. — 80 *extorqueo* codd. — 81 *causa habet uitcq: nescis* br. — 82 In br. ultimae versus literae *iclum* desunt. — 84 *morus* br. — 85 *sollicitor* codd. — 86 *hortor tamen* br. — 87 *inpersone* br. *impero ne* A. — 88 *agamemnonē uisu* br. *Agamcmnone uiso* A. versuum 90. 91. 92 hic est in codd. ordo: 91. 90. 92. — 89 *funereos* br. — 91 *semper inops* A. *semper iners* br. *egit q. p. ostem* br. — 93 *brbis est et parh;* br. — 95 *iners retinens* br. *necidens* A. *nequiens* Mr. quod potest fortasse defendi locis quibusdam Apuleii Metamorphos. — 96 *exolat* br. *alter Atrides* codd. — 97 *agis* codd. — 98 *feliciorібus* br. — 99 *adque gamemnonio* br. —

200. *exemplum regens* br. *exemplumque regens* A. *recens* Mr. — 1 *interfectur item* br. — 3 *metuant* br. *sterno thiestis* A. *sternoticstis* br. — 5 *ualeuo* br. — 6 *lauorē et tinguere* br. *laborem extinguere* A. *labor est ext.* Mr. — 7 *adque* br. — 9 *grasso* br. *crasso* A. — 10 *feris* br. *erit* A. *ferus* Mr. — 11 *indumenta. duci* Mr. — 12 *cupit hec serta tyr.* br. *uolet exertare tyr.* A. — 13 deest in A. *egredere* br. *pracuento ratrox* br. *praeuenta et atrox* Mr. — 16 *succumbē eo* br. *medella* br. A. *abertere funere* br. — 18 *nostris* br. — 19 *infauta loquens* br. *infausta rogans* A. — 20 *turpidus* br. A. — 21 *audacem terrorque proterbum* br. intermediis omissis. *terrorque superbum* A. *protervus* Mr. — 23 *ostem* br. — 24 *ians* br. — 26 *uibrando* br. A. *uibrante* Mr. *trisulcat* br. — 27 *resumsit* br. — 29 *inplete plecti rustica* br. Inter secundam et tertiam vocem rasura est. *implentem amplecti per rustica* A. *implens* Mr. — 31 *uicē retibens* br. — 33 *uarios ornata choronis* br. — 34 *plus magis* br. *discrimine* A. — 35 *rupit*

inde br. *rapit inde securim* A. — 37 *inter claustra* A. — 39 *ratae* br. *tracta tellurē* br. — 41 *orrore* br. — 42 *erat caelo referens* A. *uela* br. — 44 *adque* br. *choruscales findebat* A. — 46 *oscula panti* br. — 48 *pertinget ad* br. *pergit et ad* A. *thalamos .... portae* codd. — 51 *uir pacis* A. — 52 *contesta lauore* br. — 54 *det ...... tecmine* br. — 57 *accipit* br. *accepit* A. — 58 *dextram* A. *uibrante uipennem* br. — 60 *uertice faucem* A. — 61 *seminantur* br. — 62 *in exta* codd. — 63 *laudate m. r. condidit* br. — 66 *euaderet retia* br. *euadere et* A. — 68 *collisis dentibus* A. — 69 *cruento* A. — 71 *ut mens* A. (cf. ad 173.) *uel mens* br. — 73 *delficastidicos* br. — 75 *desertorem* codd. — 76 *desertor* codd. *pecudumque* A. — 79 *dare . . . madei* br. inter *e* et *m* parva est lacuna. — 80 *miseros* br. A. In A super *o* positum est *i*. *at forte* A. — 81 *de morte secunda* codd. — 83 *adque* br. — 85 *sereauit oresten* br. *horestem* A. — 87 *atenis* br. *athenas* A. — 88 *sapientis addit* br. — 90 *spes agam.* br. — 91 *eram* br. *pilades amoris* A. — 92 *iuncxerat* br. — 96 *venandum fuerat* codd. dubitanter scripsi *cum erat.* — 97 *si quisque levem* codd. — 98 *hunc similis* A. *hoc* br. *producere* codd. — 99 *iubalenis* br. Post hunc versum in br. haec scripta sunt: *Paruene insus erat pueris sic acullus es,* quae Muellero sic videntur esse legenda: *Par bene sensus erat pueris.* Equidem versum extricavi qualis 300[a] legitur.

300. *nec ui nec quicquam* br. ultimi vocabuli literae *c* impositum est *s*. *uincere serens* br. *feruens* A. — 1 *amataque* br. *pastora* br. — 2 *post lucem pastor amabit* br. — 3 *uentibus* br. *mortibus* A. — 4 *omicida* br. — 5 *choruscum* A. — 7 *et magis* codd. *tietis* br. *tiestis* A. — 8 *intrate torua tum* br. *horestem* A. — 9 *defossa sensit* br. *defessas* A. (et Mr.!) — 11 *reges* br. *castas* br. *raptas* A. — 12 *extuat* br. — 13 *ostendit* br. *quia* codd. — 14 *auraque* A. — 15

particem br. *solature arte* br. *solatur et altae* A. — 16 *anticipitem* br. — 17 *quos* A. — 18 *quas sarrula gapsas* br. *quasi scrinia capsas* A. Equidem *quasi scrinia* glossam arbitratus esse vocis *capsas* eliminandam censui, *blandissima* complendi versus causa inserui. — 19 *munilia* br. — 20 *pauores* br. A. *fauores* Mr. — 23 *licet extae pulcra* br. — 24 *his ornat* codd. — 25 *adgrediture praesumta* br. *aggreditur praesumta* A. — 26 *diuitias* br. Muellerus legendum censet *ornata novis* additque: omnia haec verba ita sunt corrupta, ut vix quicquam corrigere „auserim“ (sic!). — 30 *pulchrius est aurum* codd. — Inter 38 et 39 versum excidisse cuivis patet, quocirca lacunae signum posui. — 31 *onesta* br. — 32 *citerea tricem* br. *cythara* (in marg. *cytherea*) *trucem* A. — 33 *feminea* br. A. — 40 *loquantur* br. — 41 *sillacessis p. l. uipennis* br. — 42 *censuuera regem t. t. m. periret* br. — 43 *adque utinam minalenem per uella periret amazo* br. „ex quibus literis vix aptam elicere possum sententiam, qua de causa totum versum ex A. recepi“ Mr. Quem ego secutus quidem scripturam codicis br. eo ducere arbitror ut legatur *illum utinam militem per bella feriret Amazon.* 44 *pentesilea* br. A. *quauis* br. A. *qua uix* Mr. *Atrides* codd. (et Mr.!) — 45 *infanda prostratus* A. *periret* br. — 46 *cum clamide* br. — 47 *et per detractus* br. *et detractus humi* A. — Inter 47 et 48 excidisse versum patet. — 48 *cadens* br. — 49 *qua spe* br. A. *qua re* Mr. *cumulatur* codd. — 50 *neclexit* br. — 51 *occasus dodilas* br. *atridae* A. — 52 *horestis* br. A. — 54 *finge q. p. rauidus demerserit atridis* br. — 56 *origo populorum* br. — 58 *annum fallacia uota uota iubate* br. — 59 *adsertor honestis* br. *assertor horestis* A. — 60 *insortes* br. — 61 *mater plenda parat uel biticus* br. *mater non flenda* A. — 63 deest in A. *et mare* br. — 65 deest in A. *ad irbem* br.

funestam accurrit br. — 66 *uoce uocat* A. *uoce uoat* br. *pro iupiter estis* A. sed in marg. adscriptum est *hostis*. unde Muellerus *pro Iupiter hostis*, (!) — 68 *saeuit pelagus* A. — 69 *quod pueri* br. *quod . . . gessere* A. inter haec vv. parva lacuna. *quid pueri* Mr. (!) — 70 *cessit* br. *iliacos b. t. campos* br. versusne post hunc excidit? — 71 *optata* codd. — 72 *dum uidi* br. *mergentes* br. A. *carinas* A. — 73 *erat comes* br. — 75 *iusta* codd. *cliternmestra tremitis* br. *mitis* A. — 76 *uea* br. — 78 *diceret haec cum voce pia* codd. — 81 *inperat . . . citu* br. inter haec vocabula parva est lacuna. — 82 *quem sic extorsa profari* br. — 84 *perfrere lustra* br. — 85 *necis sed aduc supertis* br. — 87 *quod sic minuit uos saeuis* A. — 88 *que exausit* br. — 89 *tonisus* br. *tot nixus* A. — 90 *spoliare ciues* br. — 92 *quae sua* br. *quo sua* A. *iam* interposuit Mr. et primo versus loco scripsit *cui; proles iacuit* codd. — 94 *cubante* br. — 95 *sollicitant nulla stipulauerat aures* br. — 96 *decerpere* A. *recerpite* br. — 97 *uacant c. f. enses* br. — 98 *ossibus et nervis* codd. *deflexos c. arcis* A. — 99 *agitate* A. *sceleris-que* br. —

402. *finire senectam* A. — 4 *licet et propter* br. A. — 7 *perhennem* br. — 8 *impius heres* A. — 9 *patri dominator* br. — 10 *me profitente* br. — 11 *descendere iussit* A. — 14 *ipsa sibi* br. — 15 *regalibus, advena servis* Mr. — 17 *siue turpe* br. *sibi uile* A. — 18 *sub pastore* codd. — 19 *mercede* codd. *sanguinis hostem* A. — 22 *bono* codd. *bubulcum* A. — 24 *fuerat* codd. — 25 *acillis* br. *acilli* A. Ceterum vv. 425—426 non intellego. — 26 *possedit regnum Tamiris regina Getarum* codd. — 29 *cremabat* br. — 30 *incolumi* A. *incolomi* br. — 32 *lectus* A. — 34 *quos quitice* br. *quos scythicae* A. — 35 *nam tu* codd. — 37 *Mycenei* codd. — 39 *meminisse fuit* codd. — 40 *manibus* codd. — 41 *loquar eua dente banis*

br. — 42 *fata uiror* br. A. *crepitante redalem* br. *crep. Nealcen* A. — 43 *cum pietas* br. A. *quam pietas* Mr. — 45 *crudelibus amedellis* br. — 46 *in puluere* codd. — 48 *conuiuium felix* br. — 52 *inheret parcarum* br. *crimina* br. A. — 53 *inlicitis* br. *illiciti* A. — 56 *fluens per hec tempora regem* br. *fluens tempora perdita regum* A. *flens haec per tempora* Mr. — 57 *gemitum* br. *tremulis* codd. — 58 *pauorem* br. — 59 *horestis* A. — 63 *uela triumphis* br. — 66 *numina, prouentus Danaos* Mr. *uincere tecta* br.. — 67 *remanens* codd. — 68 *laboratis elenam ne pastorali haberet* br. — 70 *census br. membra salutem* br. — 72 *fluctusque* br. *fletusque* A. — 73 *unus telluris iatur* br. — 74 *furalibus* br. — 75 *Achillis* codd. — 79 *tessalus eros* br. *thessalus heres* A. — 81 *actores* A. — 82 *geritis* codd. — 83 *thartareas prosciso* br. — 85 *benient a. r. testis* br. — 88 *non licet sponte potestis* br. *nonnisi sponte uenistis* A. — 89 *peto* codd. — 90 *theuis uicina* br. — 94 *percusserit tense* br. — 95 *aceronteis* br. — 96 *malum mortale uenenum* codd. — 97 *actores* A. cf. 481. — 98 *tormenta parentis* br. — 99 *gemitu* A.

500. *lalore* A. superscriptum *do.* — 5 *prostrante* codd. — 6 *credo* codd. — 7 *adulter coniux* br. *adultera coniunx* A. — 8 *maculare pente* br. — 9 *tum fraude* br. — 10 *nam nec inultus* br. deest versus in A. — 13 *et absedunt* br. — 15 *alter horestes* A. *Atheneis* codd. — 17 *commerca* br. — 19 *ambibus* br. — 20 *post uela* br. — 23 *pallea punice* br. *perfuderat* codd. — 24 in A. legitur post vers. 25. — 27 *vestita sub flore gena* A. *genas* br. — 29 *promotus* codd. — 30 *cluat* br. — 32 *plaudeat* br. A. *perissem* br. *audiat* Mr. *uos non iam fama* codd. — 33 *si spero cecropidas* A. *si peto cicropidas* br. — 34 *incolomi* br. *acillen* br. — 35 *tesera piritous u. s. e. amabit* br. — 36 *gladios in uella* br. *gladio* A. — 37 *adque adfine* br. *atque affine u. cognoto* A. *ascendite* codd. — 40 *paterne* br. —

41 *patrem matrem* A. *icta* br. — 43 *esse sicum quem* br. — 44 *ultores theres* br. — 45 *danaum* A. — 46 *turua* br. — 47 *sentient irati* br. *quod t. istis* br. *quo t. itis* A. — 50 *coniugis infande c. m. ore manca* br. *infraude c. m. cremanda* A. — 52 *agamemnimia proles* br. — 53 *ab illo* A. — 54 *adtonibus quae t. potenta* br. — 58 *anxia* codd. — 60 hunc versum sequitur in codd. quem ego posui 64, qua transpositione in ordinem redacta sunt quae Muellero videbantur turbata. — 61 *perpenda diune qui nomen se pericla* br. *diu vix primo menso periclo* A. quam Muellerus scripturam in textum haud mutatam recepit! — 62 *portare m. stumulante* br. — 66 *flumine perpetuo* A. *saporem* br. *soporis* A. — 67 *mella saporem* br. — 70 *parentem* br. Interposuit ad metrum restituendum *atque* Mr. ego *mihi* interposui. — 71 *undecimis mea aetas eximeret annis* br. *undecimis aetas me duceret annis* A. — 72 *matre uonor* br. — 74 *solusque superstite* br. *solus* A. — 75 *satiabo* A. *saciabor* br. — 76 *prostato* codd. — 78 *mecum garrula uidit atridem* br. *qui gaudens uidit* A. — 79 *haec diuius* br. *cunctator* br. — 81 *aggressos* br. *horestem* A. — 82 *sic sensus* br. — 84 *audi benefandum* br. *audiri nefandum* A. — 86 *mage itq: dignior ora* br. — 87 *a scelus* br. *poenis ferienda* codd. — 88 *Danaum praescripta* codd. — 89 *dum uidere* br. — 91 *soporati* codd. — 93 *obside te tremulis* br. *lacessent* br. „Fortasse“: *tremulis te uocibus* Mr. *astra lacessens* codd. — 94 *inuenitor sic nate p. ras* br. — 95 *fata genitoris adempti* A. — 98 *ut sit quae post* br. A.

600. *uictimas et uaris* br. — 1 *tibi moesta loq.* codd. — 2 *pius an pietate* br. *pius est* A. *pius es* Mr. — 3 *fundentur* br. — 4 *indole regni* codd. — 7 *extremo gemitus fercacula duorum* br. *in extremo semifera colla* A. (et Mr.!) — 9 *hanec metuam* br. *uestri* br. — 10 *sollers immane* codd. — 11 *tacita*

quos codd. — 12 *turba minis* br. — 13 *corde fruerunt* br. *corde ferentur* A. — 14 *rapiunt* br. *sic ocius* A. *sic totius* br. — 16 *iuuenale* br. *iuuenile* A. — 17 *inlaesis frangebat* codd. — 19 *ligaret* codd. — 23 *truci cum posc.* br. *truci deposc.* A. — 25 *ergo ubi* br. *sic ubi* A. — 28 *causa* br. — 33 *classica bellisonis quatiens* codd. — 34 *si pede* br. A. — 36 *inides s. lertius* br. — 37 *sic aetatene iuuenes petiere* br. *ambo petiere* A. — 39 *doloiras sibi trepidantibus* br. *dorilas subito trep.* A. — 45 *lux oriatur* br. — 47 *triumphorum* codd. — 48 *delubra ducum* codd. — 52 *fuerit* br. — 55 *regia familia sc. h. punite* br. — 57 *manus astringere* br. — 60 *mulierem stern.* codd. — 62 *amicus* br. — 63 et 64. Desunt hi versus in A. 64 *quidque dolenti ualenes sed pergimus inquid* br. *quidque dolenti ualens* Mr. — 65 *subiecit* A. *subicit pilades et inquid* br. — 70 *dent gr. celeris* br. — 71 *peruenit uterque* A. — 74 *moniti surgentibus* br. A. — 75 *circumque ministro* A. — 77 *possent* br. — 79 *aduentum domini pars retinet* A. — 81 *rustilum* br. — 83 *micans* br. *damnati estis* br. — 84 *arides m. q. linquerat* br. — 85 *sed m. ill. dextrum* br. — 86 *salue* br. — 90 *quando er . . file* br. *eriphilem* A. — 91 *agurus anfiarat* br. — 92 *circuminspicit ospes* br. *circumspicit hostes* A. — 95 *introgressu cognosci* br. — 96 *hos agam.* br. *oculosque manusque* br. *gaudentes fremunt* codd. — 99 *stipuere* br.

701. *ullus* A. *ad Argolicos moeuat quid bella* codd. — 3 *dicabam* br. — 4 *sic uiuam* br. *si uiuam* A. — 6 *puellarumale* br. — 8 *locuta* br. — 12 *coruscis* br. — 13 *actores* A. *auctores scelerum crudelibus ausis:* Mr. — 14 *regnantis* br. — 15 *sperastis suos* br. — 16 *suplia scel.* br. *perenti* br. — 17 *famulos suos ultr.* br. — 19 *atridae* A. — 20 *durissima m. securis* codd. — 21 *rege* br. — 25 *postquam feres* br. *atridae* A. — 26 *ossibus et fractis* br. — 27 *partitos* br. — 29 In

br. *iam* est omissum. — 32 *crimine trabat* br. — 37 *sed manibus* codd. — 38 *mamillis* A. — 39 *natum puerum ista per* A. *natum pe hec puer ubera* br. *per haec puer ubera* Mr. — 40 *per clara sororis* codd. — 41 *furori* br. *quae nostro* codd. — 42 *piladem* A. *est estor amicum* br. — 43 *parente* br. — 44 *si dicis sum digna* codd. *tum natus inanes.* Mr. — 47 *post hec* br. *nec ferit* codd. — 51 *iactas m. m. tr. uirgo* br. — 53 *frigiae praesagia fatis* br. *praesagia sortis* A. „*uatis* iam J. B. Sinner in catalog. bibl. Berneus. T. I. p. 508 emendavit.“ — 55 *net necet* br. *necet*: *nec ensis* A. *necet, necet* Sinner l. l. — 56 *complex et nostri* br. *complex sit n. cr. actor* A. *auctor* br. *et scelerum complex sit nostri* Mr. Versuum 57 et 56 sedes transposui ut sunt in A. — 57 *recedens* br. — 59 Post hunc versum in cod. A. legitur versus 65 inclusus syllabis *ua-cat. quia sors* codd. — 62 *ne cruor* A. *mense minaci* br. — 63 *nec fructus* br. — 67 *sancte pater* A. — 68 *infecias* br. *inferias* A. *iustae* br. *iusta est* A. „Utroque loco iam Sinner rectum habet.“ — 69 *mato* br. — 72 *quo tardius* codd. — 73 *danae mater* br. *daneia mater* A. *Danaeia* Mr. — 76 *exspectate ciues nator et hibente parenti* br. *haec spectate truci et nato perhibete parente* A. — 77 *quod genitus* br. *quo fuerit genitus* A. *mercedem cernite lactis* codd. — 78 *dixerat et* br. *genitrix* A. — 79 *quod potum* A. — 80 *almus quos* br. — 84 *enio* br. *crinis* br. *herinis* A. *capulabat* codd. — 85 *purpureo* br. A. — 92 *uerbere corporeo* codd. *harenas* br. — 94 *lumina* A. — 99 *atridens* br. *atridem* A. *mater* br.

804. *rosida* A. *palla* codd. — 6 *hermionae* A. *hermione* br. — 8 *amicum* codd. — Versus qui nunc sunt 11. 12. 13 ita sese excipiebant 13. 11. 12. — 9 *extorsus* br. — 11 *dum tamen eripiam* codd. — 13 *nam decet . . . mereri* codd. — 14 *produxit in hostem* codd. — 15 *subientem* br. — 18 *diademate frangit* A.

— 21 et 22 in br. transpositi sunt ita ut versum 20 sequatur 22 et hunc 21. — *resoluto sortibus anges* br. — 22. *faciem iualenis : motale* br. — 23 *uirum fuit* br. *furit* A. — 24 *recensus* br. — 26 *claditur* br. — 27 *inferius* codd. — 29 *sat erant* br. — 30 *ut scelerata* br. *maculare* br. — 31 *adamanteos f. c. postes* A. — 32 *estrue per calium si sunt tibi mille fenestrae* br. — 34 *freta per terras* A. *silua* br. — 35 *angue rogi* br. — 36 *uincere matr* br. — 37 *in manibus ad* br. — 41 *agnosces* br. *umbra grauatur* A. — 42 *furorem* br. — 43 *inacius* br. — 44 *ex uaco male* br. *licirgus* br. *ligurgus* A. — 45 *furit a . . cides seua terrentem egebat* br. *Aegides* A. (et Mr.!) — 46 *furuit.* Sic uterque codex. — 47 *totam d. in aulam* br. — 48 *famulos matrem putat* br. — 50 *os simul* br. — 51 *Pyladis tamen facies non terret amicum* codd. an legend. *effigies non t.?* — 53 *esuriret faucibus* br. — 54 *inferna fames animo torquetur inane* codd. — 57 *quos nocet adtinguat furiaccibente* br. — 58 *quo numina poscent* br. — 59 *supplex ut* br. *tertia regna* codd. — 60 *deplent* br. — 64 *tollite externas* br. *tollit et extremas* A. — 65 *litera conticera fuerant* br. *ibi templa* A. — 66 *mos serbus ubi* br. — 67 *ereptus* A. *erectus* br. *mox statuitatus ad* br. *mox ipse staturus* A. *statutus* Mr. His et sequentibus locis misere in interpungendo lapsus est Muellerus. — 68 In br. inter *armetur* et *ferro* lacuna. In A: *armetur quid ferro more.* — 70 *triuere aduersa* br. — 72 *sollers sifigenia nomen atridis* br. *sollers ephigenia n. atridae* A. — 73 *ostia* br. *clamans* br. — 78 *ligatis* codd. — 79 *corda carent* br. *corda micant* A. et Mr. — 83 *precatúm* br. — 85 *patria r. sua* br. — 88 *conscendere patres* br. — 89 *surgit atihilleus* br. — 92 *oblitu* br. — 94 *fundate* br. A. *et dextra fundate sua* codd. — 95 *pirrus* br. — 97 *auersorem* br. *achilli* A. — 98 *refet quia mater scelerata* br.

900. *fuit trea* br. — 2 *censet haec reuera* br. — 5 *hoc opus* br. — 6 *tempore sed* br. — 8 *lumina* br. — 9 *ateneum* br. *atheneum* A. — 11 *affectus amandi* br. A. — 13 *quod sit . . or.* br. *quod sit amor* A. — Versuum quos nunc posui 17—24 is erat ordo: 17. 22. 23. 18. 19. 20. 21. 24. — 15 *adsistiens inter subselia sospes* br. — 16 *incolomis* br. — 17 *tractante* A. *uenendi* br. — 20 *salutes* br. — 21 *deum* br. A. *uelle iniquum* br. — 24 deest in A. *sacrilegos* br. — 26 *aucuset u. in c. duos* br. — 27 *quid faciat facinus* codd. — 28 *cur ergo nocentes* A. — 29 *ne poena* br. — 31 *uindex post bella* codd. — 36 *fata tractantur* br. — 37 *arbitri quos* br. *quod dispar* codd. — 39 *suplex* br. *dupplex* A. — 40 *paris utrique* br. *paris utrinque* A. *par est* Mr. *discrepat* codd. — 42 *his datur* br. — 43 *pocerum t. s. perra* br. *sententia uera* A. — 46 *praescripto capimur* codd. — 47 *non sinit audiri* codd. — 50 *necter estas erat* br. *inpone.* br. — 51 *iuxto* br. — 53 *securus Orestes* codd. — 54 *sitque* codd. — 55 *attuerant excipiunt* br. *damnantes* br. — 56 *egressus* br. — 59 *diuitiis reputuntur* br. *implentur* A. *re . . atis* br. — 62 *honestos* br. — 63 *uos una* br. — 66 *naiadum sat* A. *daneia* br. A. cf. ad vers. 774. *fecta* br. — 69 *miceneas* br. *myceneos* A. — 70 *uestro* br. *nostro* A. — 71 *sceleris* A.
